# THEOLOGIAE
## DOGMATICAE
## LECTIONES.

*TOM. VI.*

# MICH. ARCHANGELI
# LVPVLI

ACADEMICI HERCULANENS. NUNC S. METROPOLITANAE
ECCLESIAE COMPSANAE ARCHIEPISCOPI

# THEOLOGIAE
## DOGMATICAE
## LECTIONES

*TOM. VI.*

EDITIO ALTERA.




*In antiq. gemma ap. Auctorem*


NEAPOLI

EXCVDEBAT RAPHAEL MIRANDA

MDCCCXXX

# PRAEFATIO.

I. Scilicet devenimus demum ad CHRISTUM, accisae ac desperatae hominum naturae redintegratorem, qui ανακεφαλαιωσασθαι *recapitulare* quae in coelis, et in terra sunt, omnia in ipsum debebat; sive ad unum caput revocando, ac eidem principi ac dominatori subiiciendo non corrupta tantum, sed quae soluta etiam ac dissipata erant antea; sive universa Mysteria, omnemque vetustatis dispensationem, quae hactenus figuris multis ac vaticiniis in longum erant deducta, in se colligendo, atque morte ad extremum consummando; sive demum, ut uno immensa Divinae dilectionis miracula complectar verbo, ea omnia nobis restituendo, quae perdideramus in Adam.

II. Porro autem tractationem hanc bifariam veteres Graecos discrevisse, in ipso orationis vestibulo e re maxime censeo animadvertere, in θεολογιαν nimirum, et Οικονομιαν; atque in illa quidem Christi Divinitatem spectasse tantum, in hac vero magnum pietatis Sacramentum, sive Dei manifestationem, dispensationemque in carne. Hinc Basilius *Ep: CXLI.* τῃ θεολογιᾳ προσεχοντες, της οικονομιας καταφρονωμεν, *ne in Theologiam intenti, Oeconomiam contemnamus.* Et Cyrillus Alexandrinus *Comment. in Ioan.* εξ ακρατου θεολογιας εις εξηγησιν οικονομιας της μετα σαρκωσεως, *transit Ioannes a mera Theologia ad explicandam Oeconomiam Incarnationis.* Cuius vocabuli notionem, facile mihi suadeo Graecos ad ea significanda usurpasse, quae voluntate ac benignitate sua ad hominum utilitatem atque exemplum sustinuit Christus. Id quod ex Athanasio potissimum pronum est adsequi, qui passim in libro de Incarnatione passionem Christi

*Oeconomiam* appellat : η την οικονομιαν του παθους, και του θανατου, και της αναστασεως ως δοκησιν νομιζειν, *Oeconomiam passionis, et mortis, ac resurrectionis.* Est enim oeconomia, prudens rei alicuius administratio ex occulto consilio, quod ad utilitatem tendit eorum quibus cavetur; quo modo pati voluit Christus, idque per ipsos suos inimicos ordinans perficiensque, Satanam nempe, et Iudaeos, qui quo id tenderet, quorsumque fieret ignorabant.

III. Attamen hanc ipsam, quam usitatiori vocabulo Patres Oeconomiam appellarunt, propius in Mysterii naturam proprietatemque intendens antiquus Scriptor Sanctus Irenaeus Σαρκωσιν dixit *Lib. III. Cap. XXI.* passimque Nicaena Synodus in fidei formula usurpavit, quam latini *Incarnationem* reddunt, quaque Ioannis effatum *Verbum Caro factum est*, ad verbum veluti exprimitur. Unde σαρκοποιηθεντα λογον *Verbum Carnem factum*, et σαρκοποιηθεντα

Ιησουν Iustinus dixit in Apologetico. Neque praeterea minus frequentata Patribus της Προσληψεως *Adsumptionis* vox fuit, tum adiunctis enuntiationibus sive *naturae humanae*, sive crebrius *humanitatis*, ut Ephraemius, et Athanasius; tum etiam absolute, quo modo Gregorius Nazianzenus *Orat. XLII.* την προσληψιν χρισθεισαν θεοτητι *assumptionem Divinitate perunctam* dixit, nec non Nyssenus in Libro adversus Apollinarem, et Basilius Epistola XLV. Quam in adpellationem et Latini conspirant. Ita Prudentius in Apotheosi.

*Totum hominem Deus assumit, quia*
*totus ab ipso est:*
*Et totum redimit, quem sumpserat.*

Et Augustinus *Lib. II. de Civ. Dei Cap. II.* cuius illa decantatissima vox: *Homine assumpto, non Deo consumpto, peractum est mysterium.*

IV. Proxima huic est locutio altera της ενανθρωπησεως, qua praeter Epiphanium Haer. X. usus est Athanasius in

sua περι της ενανθρωπησεως Oratione, quam Facundus Hermianensis Inhumanationem vertit. Nec non Ενσωματωσεως, qua tum Origenes contra Celsum, tum Athanasius Libro de Incarnatione, et Basilius Homilia in Ps. XXIX. usi sunt, quam Ambrosius Lib. I. de Virginibus *Incorporationem* dixit, tum et Tertullianus Lib. de Carne Christi Cap. VI. Philastrius Cap. LXIX. Cassiodorus Lib. II. de Divin. Lect. Cap. XXXII. *Corporationem* vero Hilarius in Prolegomenis super Psalmos. Quibus demum της Επιφανειας, και φανερωσεως *manifestationis*, *et adparitionis* accedunt voces, quo sensu Athanasius Orat. III. την θειαν του λογου προς ημας επιφανειαν dixit, hoc est adventum. Et initio libri de Incarnatione σωματικην επιφανειαν corporeum adventum.

V. Sed haec in antecessum animadvertisse fortasse satis. E re enim duco nunc hic pauxillulum consistere, et cursim saltem nefanda errorum portenta, quae in huius Sacramenti pertractatione

occurrunt, numerando veluti recensere, tum ut quae sunt impense nobis oppugnanda in ipso operis ingressu teneantur; tum ne inter tot errorum flexus, ac diverticula oratio posthac vel disperdatur, vel decoloretur. Etenim nusquam opinandi lascivia latior proterviorque, nec tam multiplex, ac tam copiosa contrariarum haeresum varietas alibi reperitur, quam in Fide Verbi Incarnati. Cuius tamen tam late grassantis pravitatis, vel ab ipsis Ecclesiae primordiis quanta quanta sint vel capita, vel divortia huc profecto recidunt in summa, ut vel homini Deitatem, vel humanitatem Deo denegarint, aut Christum in duas discerpserint personas, aut in unam naturam coarctarint. Illud adgressi sunt Iudaei, primi omnium ex synagoga in Ecclesiam conscripti, et qui Ecclesiae se mox adglutinarunt Graeci; hoc vero qui ex ipso Christianae Ecclesiae sinu eruperunt degeneres filii.

VI. Impiorum igitur agmen ducit Iudaica perfidia, quae Christum merum esse credidit hominem, nullo vero modo Deum. Primum ex sceleratis huiusmodi *Carpocratem* recenset Sanctus Irenaeus, quem genere Alexandrinum fuisse memoriae prodidit Clemens. Carpocrati *Cerinthum* proxime subiicit Sanctus Epiphanius; cuius memorabilem cum Ioanne Apostolo congressum Irenaeus narrat *Lib. III. Cap. III.* tum et Clemens Alexandrinus, ac Theodoretus, Ioannem nimirum, quum lotum ad balneas venisset, animadverso qui eodem accesserat Cerintho, statim se inde proripuisse: *fugiamus ne balneum corruat, in quo Cerinthus est, veritatis hostis.* Mox *Ebion* adnumerandus qui Eusebio teste post excidium Hierosolymorum emersit, quique quum secta Samaritanus esset Iudaeus haberi maluit, legemque Mosaicam, atque Iudaicos ritus Christianae professioni admiscuit. Quibus subscripserunt *Theodotus*

patria Bizantinus, arte *coriarius*, qui Severo Imperante fidem in persecutione eiuravit; *Beryllus* item Bostrae in Arabia Episcopus; tum *Artemon*, sive Artemas, cuius meminit Alexander Episcopus Alexandrinus in epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum. Ac *Theodotus* alter argentarius, sive *trapezita*, de quo Tertullianus *Lib. de Haer. Cap. XXXV.* Melchisedecianorum auctor, quippe Melchisedeco Christum praedicabat inferiorem. Demum vero *Paullus Samosatenus* Antiochenae Urbis Episcopus, qui ut gratiam a Zenobia Palmyrenorum Regina iniret, Iudaeorum Religioni mancipata, in eamdem Iudaicam impiamque de Christo mero homine se deiecit sententiam. Quorum tamen alii Christum Iesum ex Iosephi, et Mariae conjugio procreatum, in eumque baptismi tempore descendisse Spiritum Sanctum, ita Christum factum esse, mortis vero tempore sursum revolasse Christum, Iesum

obiisse, mox resurrecturum. Alii autem de Virgine et Spiritu Sancto natum, non tamen ante Mariam extitisse affirmabant.

VII. In adversum connisa est Iudeorum pars altera, Christi insultans humanitatem. Horum mentio facta primum offenditur a Serapione Episcopo Antiocheno apud Eusebium *Lib. VI. Hist. Eccles.* Quorum vel auctor, vel princeps *Cassianus* perhibetur a Clemente Alexandrino *Strom. Lib. III.* licet Hieronymus in *Cap. VI. Epist. ad Galatas*, Tatianum nominet. Atque hi Δοκῆται nuncupati a δοκέω *puto*, quippe nonnisi putatitiam Christi humanitatem fatebantur, tum et Φαντασιασταὶ, quia ut Tertullianus ait *de Praescrip. Haeret. Cap. XLVI. Christum in phantasmate tantum venisse contendebant.* Nec porro pauci putidissimo huic dogmati adhaeserunt, quos inter *Saturninus*, (cuius post Irenaeum Tertullianus, Philastrius, Augustinus, et Ioannes Da-

mascenus meminerunt ), et *Basilides* qui per Aegyptum nefariae eiusdem impietatis sparsit venena. Tum et *Cerdo*, et *Marcion* ( nec enim vel *Secundum*, vel *Marcum* praestigiatorem insignem memoro ); aliique usque ad *Manetem* magistrum falsitatis diabolicae, eiusque gregarios, haereticorum omnium pestilentissimos *Manichaeos*, quorum lues longe lateque in Oriente, atque Occidente grassata est, quique testibus Sanctissimis Athanasio, *Orat. I. contr. Arian.* Irenaeo, *Lib. II. contr. Haeres.* Augustino, *Lib. de Haeres.*, inter cetera errorum portenta commenti sunt, *Christum non fuisse in carne vera*, *sed simulatam speciem carnis, ludificandis humanis sensibus praebuisse*; *ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem ementiretur.* Quorum proterviam praeclarissimi Ecclesiae Patres strenuo fregerunt, Ignatius Martyr *Epist. ad Trallianos*; Irenaeus *Lib. V. advers. Haeres.* Tertullianus *Lib. de*

*Carne Christi*; Epiphanius in *Ancorato*; Ambrosius *Exp. Evan. in Luc. Lib. VII.*

VIII. Ad Graecas pergamus haereses, sitque a *Valentino* exordium, quem adseruisse testatur Augustinus *Lib. de haeres. Christum a Patre missum, spiritale, vel coeleste corpus adtulisse; nihilque adsumpsisse de Virgine Maria, sed per illam tamquam per rivum* ( Erasmus *per rimam* ) *aut per fistulam, sine ulla de illa assumpta carne transisse*. Fanaticum hominem operose exagitarunt Irenaeus, Epiphanius, et Tertullianus. Nec *Anabaptistas* moror hic, qui occasione pseudo-reformationis Lutheranae, Patrum nostrorum aetate, putidam haeresim iampridem iugulatam, obtritamque ex orco revocarunt, et qui his accesserunt *Qhackeri*, qui in Anglia, et in Belgio foederato late propagati sunt saeculo elapso.

IX. Protervior *Sabellius* extitit Ptolemaide in Lybia natus, qui nova haere-

si Pentapolim, atque Aegyptum contaminavit, tres unius Deitatis hypostases in unam conflans personam, ex quo sequebatur, ut Pater ipse, et incarnatus, et carne passus crederetur. Quo luto haeserunt *Praxeas*, *Hermogenes*, *Epigonus*, *Cleomenes*, *Noetus*, quibus ex impio dogmate Patripassianorum factum nomen. Tametsi vero Epiphanius *Lib. II. adv. haeres.* Sabellianos a Noetianis in eo dissensisse putat, quod Patrem passum hi adfirmarent, negarent vero illi, tamen deceptum in hoc Epiphanium disertissimis liquet testimoniis, Sancti Athanasii *Lib. de Synodo*, S. Augustini *Tract. XXVI. in Ioan.* et Marii Mercatoris *Diss. de XII. Anathematism. Nestorii.* Quin Augustinus *Lib. de haer. Cap. LXI.* id in Epiphanio σφαλμα notat. Acceditque quod qui *Sabelliani* in Oriente dicebantur, *Patripassiani* in Occidente audiebant, Athanasio, et Augustino testibus. Haeserunt eidem luto *Marcellus*, eiusque

discipulus *Photinus*, ille Ancyranorum, Syrmiensium hic Episcopus.

X. Ad *Arium* ventum est, quo non alia saevior pestis in Ecclesiam grassata est. Hic ex Lybia in Orbis perniciem egressus, ut inferiorem Patre Filium, ac creatae substantiae adstrueret, passum illum carne adfirmavit, Verbique substantiam in eo animae vicem implesse; quemadmodum testassimae fidei Patres perhibent Epiphanius, Theodoretus, Athanasius, et Augustinus. Quo et fortasse S. Ambrosius respexisse videtur Lib. I. de Fide ad Gratian. Cap. III. *Detestandi Iudaei, qui carnem Domini crucifixerunt; detestabiliores tamen Arianos arbitror, qui Divinitatem Christi cruci subditam crediderunt.* Apertius tamen, atque extra omnem dubitationis aleam saeculo IV. inclinante *Apollinaris* Episcopus Laodicenus, vir doctrina insignis, et non tantum Epiphanio et Athanasio carissimus, sed magna apud Catholicos omnes existima-

tione, in eam haeresis detestandam turpitudinem est lapsus, ut non integrae animae, sed mentis dumtaxat partes supplesse Verbum arbitratus sit. Nimirum ex Platonica philosophia deceptus est homo, aliud cum Plotino tenens esse animam, qua vivimus, sentimus, et communia ceteris animantibus officia exequimur, aliud mentem qua cogitamus, iudicamus, ac ratiocinamur; proinde non αψηχον prorsus *sine anima*, sed ανουν *sine mente* Christi corpus voluit. Ex quo S. Epiphanius Διμοιριτας Apollinaris gregarios appellavit *Haeres. LXXVII.* quod tertiam hominis partem, mentem scilicet Christo denegarent. Porro autem praeter hoc erroris monstrum, in eo etiam suam ostentavit insaniam Apollinaris, ut Chtristi carnem non de Beata Virgine sumptam, sed e coelo delapsam, quin ipsam Verbi substantiam in carnem se se condensasse blasphemaverit. Quare Σαρκολατραι *carnicolae* adpellati Apollinaristae, qui ex adverso Catholicos

Ανθρωπολατρας *hominicolas* per convicium salutabant. Arium Nicoena, Apollinarem Constantinopolitana Synodus damnavit.

XI. Ex *Theodori* Mopsuestiae Episcopi schola *Nestorius* prodidit e Monasterio Antiocheno in Clerum cooptatus, et e presbyterio mox ob eloquentiae ac probitatis famam in Constantinopolitanam Cathedram evectus. Unionem hic Dei atque hominis in Christo non substantivam, et hypostaticam est interpretatus, sed eo pene modo, quo iusti omnes, et unum cum Deo, et Filii Dei, et Dii dicuntur. Ex quo impie deduxit, duas esse in Christo personas Divinam, et humanam. Tum, quod alterum Nestorianae pravitatis monstrum fuit, Beatissimam Virginem Mariam non esse θεοτοκον *Deiparam*, sed χριστοτοκον *Christiparam* appellandam, vel etiam ανθρωποτοκον *hominis matrem*. Atque hinc suarum blasphemiarnm telam textere Nestorius instituit, per familia-

res primum suos Dorotheum, et Anastasium, tum et per seipsum sermonibus in Ecclesia plurimis conceptam haeresim disseminans. Coelestinus Pontifex in primis, quem adversus blasphemantem Patriarcham Constantinopolitanum Clerus interpellaverat, coacta Romae Synodo an. CCCCXXX. haeresim damnavit. Tum Cyrillus Alexandrinus Episcopus, qui ab initio se veluti murum aheneum tantae pravitati opposuit, e vestigio Concilium Episcoporum sui Patriarchatus, eodem anno Alexandriam accivit, epistolamque synodicam ac duodecim anathematismos, quibus Nestorius ad suos errores sine tergiversatione eiurandos compellabatur ad eumdem per quatuor legatos misit. Denique, quum res in apertum schisma tenderet, Imperator Theodosius, Coelestino postulante, Oecumenico Concilio Ephesi anno CCCCXXXI. coacto rem jussit finiri, quo Nestorium praesentem, ac citatum Patres damnarunt; tum e Con-

stantinopolitana Sede depositus, ac Christiana communione privatus in Monasterium Euprepianum est depulsus. Tandem et Monachis exosus, quorum et pacem turbare numquam non destitit, ac omnibus invisus, Oasim in Armeniam est Imperatorio decreto deportatus, ubi lingua vermibus absumpta, corrosis nervis, exsectisque fibris fato functus est miserrimo.

XII. Nondum quieverant Nestoriani fluctus, et vix in portum Ecclesia se recipere videbatur, quum nova Orienti tempestas incubuit, totaque agitari rursus Ecclesia coepit. *Eutyches* enim Archimandrita Constantinopolitanus, qui adhuc diaconus tanta laude in arenam contra Nestorium descenderat, mox vano Nestorianismi penitus abradicandi praetestu, uti duas in Christo personas adversus insanientem Nestorium ex fidei regula negabat, ita a fide excidens duas etiam naturas Divinam et humanam negare impio ausu est adgressus. Hinc a

Sancto Flaviano Constantinopolitano synodice primum damnatus, mox in latrocinio Ephesino ( ita passim Ephesina Synodus audit, ubi terror omnia absorbuit, militumqne furor omnia finivit, ubi Venerabilis Episcopus S. Flavianus, strenuissimus ille scilicet haereticae impietatis debellator non damnatus tantum, sed pugnis et calcibus (1) im-

(1) Annalium Ecclesiasticorum Parens Baronius ad Christi an. CCCCLXIX. implacabilis conqueritur, sua aetate eversum pulcherrimum illud patrati facinoris monfimentum, quod Sanctus Hilarus, testis oculatus, musivo opere faciundum curavit in insigni S. Crucis Oratorio, ad dexteram Baptisterii Constantiniani a se constructo; ubi visebatur S. Episcopus Flavianus a Dioscoro, eiusque gregariis, pedibus, et calcibus conculcatus. Celebris et in hanc rem est inscriptio, quam idem S. Hilarus Pontifex Maximus in aedicula S. Ioannis Evangelistae posuit, in memoriam fugae, quam ab Ephesino latrocinio, invocata S. Ioannis ope, feliciter arripuit:

LIBERATORI SUO<br>BEATO IOANNI EVANGELISTAE<br>HILARUS EPISCOPUS FAMULUS

Ut vero ad S. Flavianum redeam, sive is in ipsa

petitus Martyr occubuit ) a Dioscoro Alexandrino absolutus, postremo tandem in Chalcedonensi Oecumenica Synodo proscriptus, ac relegatus est. Porro ex Eutychiano systemate id indubie sequebatur, ut non nostrae naturae esset Christi caro, nec nobis consubstantialis, utpote consubstantialis Deo; ergo nec a Virgine Matre sumpta, sed alicunde a coelo adlapsa, vel a Verbo ipso effusa; Ideo nec Virgo Deipara, ut quae nihil sui impartisset.

XIII. Neque tamen ad frugem redacti Eutychiani, quin omnia coedibus, et turbis in Oriente miscuerant. Hinc facta inter se pugna in varias dissecti sunt partes, quarum celebriores duae,

---

latrocinali Synodo, glorioso ad Christum fine transierit, ut plurimis placet; sive inter manus eorum, a quibus in exilium ducebatur; ut Prosper narrat in *Chronico*; sive demum apud Epipam, quae est Lydiae Civitas, ut in *Breviculo causae Eutichianistarum* legitur; certe sacrae Martyris Christi exuviae Epipae erant, quum primum de iis Constantinopolim trasferendis cogitatum fuit.

*Theopaschitarum* , et *Acephalorum*. Illi duce *Petro Cnapheo* , seu Fullone, Antiocheno Pseudo - Episcopo , qui Chalcedonensi Concilio anathema dixit, additionemque Trisagio αγιος ο θεος , αγιος ισχυρος , αγιος αθανατος, *Sanctus Deus* ; *Sanctus fortis* , *Sanctus immortalis* huiusmodi fecit : ο σταυρωθεις δι ημας , ελεησον ημας *qui crucifixus es pro nobis* , *miserere nobis* , quae tot turbas Constantinopoli excitavit, ut multa hominum millia misere perierint (2) ,

(2) Quum in magna populi frequentia anno DXI. die IV. Novembris, quae Dominica erat, Marinus Praefectus Praetorii, et Praefectus Civitatis, Anastasii Imp. iussu trisagion cum huiusmodi appendicula cantare magna voce coepisset , Catholici vero acriter resisterent , ad arma ventum est , non sine multa Catholicorum coede. Sed postridie , quum maiori numero accurrissent Catholici , seditionis incendium adeo exarsit , ut his praevalentibus multi Eutychianorum occisi fuerint, atque ut in tumultu assolet, militari licentia eorum domus eversae , ac flammis consumptae. Brevi malum ita crevit , ut infelix Imperator vitae metuens latebras quaerere coactus sit , atque hoc

Deum ipsum Patrem, Filium, Spiritum Sanctum passum esse contendebant. *Acephali* vero a *Petro Moggo* in Alexandrinam sedem intruso, quod Chalcedonense Concilium damnare cunctaretur, secedentes, Acephali sunt dicti. Mox inter Acephalos ipsos factum est divortium. *Severus*, qui Cathedram Antiochenam expulso legitimo eius Episcopo Flaviano non sine magna hominum caede surripuit anno DXII. novam *Corrupticularum* peperit sectam; Iulianus Halicarnasseus *Incorrupticolarum*

---

modo adpendicula cessit. Porro huiusmodi adpendiculae, veluti suspectae, merito resistebant Catholici, tum quod Eutychianorum erat partus, qui naturam humanam in Christo negantes, passionem Divinitati tribuebant; tum etiam quod consueto fidelium more canticum istud ad Deum unum et trinum dirigebatur, ad imitationem trisagii Angelici, quod Isaiae VI. 3. legitur. Re enim vera, quum Calendio Episcopus Antiochenus, vir catholicus, ad omnem aequivocationem tollendam cani Trisagium in hunc modum praecepisset: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *Christe Rex*, *qui crucifixus es pro nobis*, *miserere nobis*, Eutychiani restiterunt.

quod illi corruptibilem Christi carnem dicerent, hi incorruptibilem. His accesserunt *Monophysitae* ab unitate naturae; *Iacobitae* vero a Iacobo Armeno, qui Syros a recta fide abduxit; cuius sectae adhuc vigentis Patriarchas, videsis apud Cl. Iosephum Simonium Assemanum *Biblioth. Oriental. Tom. II.*

XIV. Ex turbulentissima Eutychianorum secta orti *Monothelitae* duplicem Christi naturam verbo tenus fatebantur, unicam attamen divinitatis atque humanitatis voluntatem admittebant, unicamque operationem. Hoc luto, ne quid immodestius dicam, se implicavit impius haeresis faber *Theodorus* Episcopus Pharanites in Arabia, in quo et haesitarunt *Sergius* Patriarcha Constantinopolitanus, *Cyrus* Phasidis Episcopus, ac ipse etiam *Heraclius* Imperator, qui auctore Sergio Fidei *Ecthesim* promulgavit, qua et una in Christo voluntas asserta, et una vel duplex operatio dici prohibita est. Eo spectavit

quoque famosus Constantis, qui post Heracleonam in imperio successerat, *Typus*, quo item et unam vel duas voluntates, et unam vel duas operationes confiteri vetabatur. Scilicet igitur in dies error serpebat ut cancer; iam enim Constantinopolitanum, et Alexandrinum Patriarchatum infecerat, in Hierosolymitanum irrepserat, Antiocheno iam iamque insidiabatur. Tanto malo qui occurreret, unus inventus est Sophronius, strenuissimus fidei stator, qui mox ad Hierosolymitanam sedem bonorum omnium plausu est evectus, donec Martinus Pontifex Lateranensi Synodo coacta anno DCXLIX. non Heraclii tantum impiissimam Echtesim, et scelerosum Constantis Typum, sed et profanae novitatis duces Theodorum, Cyrum, Sergium, tum et huius in sede Constantinopolitana successores Pyrrhum, et Paullum damnavit. Pax attamen Ecclesiae non est restituta, nisi quum primum Constantini Pogonati Im-

peratoris opera Oecumenica Synodus VI. Constantinopoli est, ipso praesente Augusto, congregata an. DCLXXX. ubi aeterno anathemate confossa haeresis.

XV. Demum *Felix*, et *Elipandus* postremi haereticorum sunt hic recensendi, Orgellitanus ille Episcopus, hic Toletanus. Qui non proprium et naturalem, sed adoptivum Dei Filium, et servum Christum hominem praedicabant. Atque Elipandus quidem per Asturias, et Galliciam, Felix vero per Septimaniam, seu Gothiam dilatando pestifero dogmati incubuerunt. Hinc Hadrianus primus, qui universalis Ecclesiae gubernaculum tenebat, et Carolus Magnus Francorum Rex de haeresi comprimenda solliciti, Synodum Ratisbonae an. DCCXCII. celebrarunt, in qua Adoptianorum dogma aeterna sententia est damnatum, ipse vero Felix coram Patribus, ac Carolo Regi tactis Sacrosanctis Evangeliis jurejurando protesta-

tus est, se in regula fidei perpetua immutabilitate mansurum. Quod sane renovavit coram Hadriano Pontifice, ad quem missus fuit, ut Episcoporum iudicio summa, et irrefragabilis Apostolicae Sedis auctoritas accederet. Verum in patriam, suam secum portans impietatem, reversus, ac iuramenti oblitus, quum ad pristinos errores rediisset, Carolus coacta Francofurthi ad Moenum Synodo an. DCCXIV. quo trecenti, et amplius Episcopi convenerunt, antiquam Ecclesiae fidem confirmandam curavit, lato in pessimos hostes anathemate; atque ita caussa finita est.

Non autem hic sanctam memoriam Beatissimi Patriarchae Aquileiensis Paulini praeteribo, qui strenuissime omnium adversus novissimos hosce nebulones certavit; quique *Libellum Sacrosyllabum* postremo etiam Patribus Francfordiensis Synodi obtulit, non suo tantum, sed Petri etiam Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopi, tum et omnium Episco-

porum, Liguriae, Austriae, Hesperiae, ac Aemiliae nomine; quem auro contra non pretiosiorem adprime Patres receperunt, probaruntque.

Atque haec sunt, quae adversus Incarnati Verbi Sacramentum ex inferi faucibus prodierunt monstra, quaeque nostris libris profliganda suscipimus. Nec enim arbitror alias superesse haereses, quae non ad harum aliquam revocari, et ad illa summa quasi fastigia reduci possint. Quam ob rem nec nominandos quidem ex *Lutheri* et *Calvini* discipulis *Michaelem Servetum*, et *Valentinum Gentilem* censui, qui non Arianorum tantum, sed et Ebionitarum, Sabellianorum, Photinianorum, Eutychianorumque extinctos errores ex frigidis cineribus suscitarunt. Nec qui ex horum schola pessimo malo sunt egressi *Georgius Blandrata*, *Paullus Alciatus*, *Franciscus David*, et ad ultimum vero *Faustus Socinus*, et *Crellius*; quot

nomina, tot monstra, in totius Christiani nominis perniciem coniurata.

Erubescant impii, et disperdantur. Ego autem confitebor tibi Domine, et annuntiabo veritatem tuam in generationem, et generationem. Cui cum Patre, et Spiritu Sancto eadem Potestas, una Divinitas in saecula saeculorum. Amen.

# THEOLOGIAE

## DOGMATICAE

## LECTIONES.

### *LIBER QUINTUS*

### DE INCARNATIONE

### VERBI DEI

Haec est vita aeterna, ut cognoscamus solum verum Deum, et quem ille misit IESUM CHRISTUM. Hinc postquam Deum, eiusque foecundissimam Unitatem in tres Personas dilatatam, atque in res conditas effusam bonitatem superioribus libris contemplati sumus, nunc Christum, Dei virtutem, ac sapientiam, in quo omnis plenitudo Divinitatis inhabitat, libri huius iucundissimum habemus argumentum.

## CAPUT I.

### *De Dominicae Incarnationis veritate adversus Judaeos.*

Quem dudum praestolabantur Iudaei Filium Dei, a constitutione mundi promissum, a saeculis prophetatum, atque innumeris in veteri Testamento figuris mysteriisque obumbratum, is in plenitudine temporis quum ex benignitatis suae abundantia in forma humilitatis nostrae in mundum advenisset, factus est illis scandalum. Nimirum adeo carnalium Iudaeorum animis insederat opinio, venturum in splendore maiestatis suae Messiam, ad debellandas armorum potentia nationes, terrenumque Israelis Regnum restituendum, totoque orbe amplificandum. Ex adverso autem natum humili loco ubi viderint Iesum fabri filium, inopem, ac paucis, abjectisque stipatum discipulis, hunc esse Messiam negarunt, nihil quidquam illa Prophetarum attendentes oracula, quibus haec erant praenunciata, cuius et Regnum non temporarium sed coeleste futurum Zacharias (IX. 9.) expresserat: *Exulta satis filia Sion: iubila filia*

*Ierusalem* : *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, et salvator* : *ipse pauper* , *et ascendens super asinam* , *et super pullum filium asinae*. Hinc ( quod merito praescribebat Tertullianus ) prima nostra colluctatio adversus pervicaces erit Iudaeos , qui in propria venientem Dei filium non receperunt , eique adhuc obstinati contradicunt , quos praevalidis ; inextricabilibusque argumentis perstringemus, iamdiu advenisse Messiam demonstrantes , eumque fuisse IESUM NAZARENUM , quem Patres eorum Pilato tradiderunt , ut crucifigeretur. Qua functi exercitatione ipsum Dominicae Incarnationis Sacramentum ex Sacris Litteris, Sanctorumque Patrum doctrina , eodem nobis indulgente Domino Nostro Iesu Christo explanabimus.

## SECTIO I.

### *Ex Iacobeo Vaticinio Messiam advenisse evincitur.*

I. Ubi suam e terris abitionem adpropinquare sensisset annosus Iacob , postrema filios suos donaturus benedictione , singulis quae erant in novissimis diebus eventura , Divino

adflatus Spiritu nunciavit. Neminem at ex omnibus prae filio Iuda ponderosis vaticinationibus ornatiorem reliquit: *Iuda* ( inquit Gen. XLIX. 10. ) *te laudabunt fratres tui, Non auferetur sceptrum de Iuda, et Dux de femore eius donec veniat qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium.* Hem illustre quantum, ac vere divinum morientis Israelis effatum! quo iam Messias Mortalium Liberator non tam de Iudae filii sui prosapia nasciturus praedicitur, quam quando advenerit, digito veluti commonstratur. Sane enim qui talia fatur, quid edisserit aliud, nisi eo scilicet temporis articulo Messiam adfuturum, quo in Juda cessaverit Principatus? Eccum igitur primum longe luculentissimum positum signum, ut tum Messias oriatur, quum occidat Judas.

II. At vero tanta in luce me Iudaeorum miseret, qui ne in eum crederent, quem non cognoverunt, et ut anxii adhuc quoque expectarent, quem Orbis universus iamdiu Salvatorem suum sensit, nonnisi cavillando, et ut verius dicam insaniendo, vim clarissimi Oraculi eludere conantur. Conantur? nonne multis adhinc saeculis signum illud ablatum intuentur? nonne ablatum vident de gente Iudaica sceptrum, et principem de semine

eorum? Vt quid igitur iampridem illo eradicato signo, adhuc Messiam expectant?

III. Profecto enim sive per Iudam universa Iudaeorum gens intelligatur, in qua praecellens fuit Tribus Iudae potestas, sive singularis illius Patriarchae tribus, non restat illis unde de impleta in Christo Iacobea vaticinatione dubitare. Nam et priori sensu, cui adistipulantur S. Iustinus Martyr, Eusebius Caesariensis, S. Athanasius, S. Ambrosius, iam inde quum Herodes imperabat, qui Iosepho teste (1) non Iudaeus, sed Idumaeus erat, sceptrum de Iudaica gente ad alienigenas transierat; maxime vero quum eversae sunt Hierosolymae, et Regia Civitas excisa per Titum, ac universa Iudaeorum gens infelix dissipata, atque alieno iugo colla sub-

(1) *Antiquitatum Iudaicar. Lib. XIV. Cap. II.* nec non *De bello Iudaico Lib. I. cap. V.* In cuius sententiam accedunt praeter Iulium Africanum Eusebius *Lib. I. Hist. Eccles. cap. VI.* Et Sancti Epiphanius *Her. XX.* Hieronymus, Ambrosius *Lib. de Bened. Patriarch. Cap. IV.* Augustinus *Lib. XVIII. de Civit. Dei.* Cyrillus Alexandr. *Lib. VII. Com. in Gen.* Non heic enim impudentem illum Herodis assentatorem Nicolaum Damascenum moramur, cuius testimonium Scaligero, et Casaubono ultro fruendum relinquimus.

mittere coacta, nihil eorum est ausa attentare, quae Regiae sunt potestatis. Et altero autem sensu, quem tenet Origenes, et Sancti Epiphanius, Cyrillus, Augustinus, iam ab ipso Messiae adventu sceptrum de tribu Iuda ablatum est, siquidem clade Palestinae, Tribuum confusione, ac dispersione totius populi, ius ad Regnum recuperandum prorsus amisit.

IV. At quae vero tanta stultitia, ut quum post mille et octingentos ferme annos ex calamitate illa postrema suis exturbati sedibus, continuo dispersi, ac palantes huc illuc divinae maledictionis signum praeferentes vagentur sine familia, sine tribu, sine urbe, sine synedrio, sine legibus, sine magistratu, sine templo, sine sacerdotio, sine sacrificio, non occasum videant Iudam? non ablatum sentiant illius imperium? non completam attendant prophetiam illam dicentem (Oseae III. 4.): *sedebunt filii Israel sine Rege, et sine Principe, et sine Sacrificio, et sine Altari, et sine Ephod, et sine Theraphim*?

V. Quid quod et scopulum prorsus indeclinabilem habent, quo contradictionum omnium calumniae, cavillationumque fluctus confringuntur. Habent nimirum totam Hebraicam vetustatem, quae Iacobi vocem propheticam

pro signo venturi Messiae accepit, antequam Messias advenerit. Ita namque septuaginta Senes, trecentis prope annis Christi adventu antiquiores, Iacobeum Oraculum interpretati sunt; ita Targum Onkelos, et Targum Ionathanis, tum et Targum Hierosolymitanum, ac Thalmud Babylonicum, cuius auctoritatem ipsi Iudaei, qui Christum praecesserunt, Divinis Libris exequant, quique non aliud signum orituri Messiae expectabant, quam quod Iacob posuit. Quin et per illa prope tempora, quibus benignitas Dei adparuit, iam iamque Oraculi complementum norant (2). Vn-

(2) Et sane tam constans erat apud Hebraeos, et vicinos opinio, illis temporibus expectandum Messiam, ut multi Herodem pro Messia habuerint; eoque nomine *Herodiani* dicti *Matth. XXII.* 16. *Marc. III.* 6. *VIII.* 15. *XII.* 13. de quibus Tertullianus in haereticorum enumeratione: *Cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.* Paria habet Epiphanius; et consentit vetus Persii Scholiastes, qui adposite narrat, *Herodianos Natalem Herodis observasse, ut etiam sabbata, quo die lucernas accensas, et violis coronatas in fenestris ponebant.* Alios vero, quibus eadem insedit opinio, Iudam Caulonitem pro Messia habuisse auctor est Iosephus *XVIII.* 1. et *Act. V.* 36.

de vox illa Samaritanae SCIO QUIA MESSIAS VENIT? unde vox illa Andreae INVENIMUS MESSIAM? Quorsum illa Sacerdotum et Levitarum legatio ad Ioannem, ut interrogarent eum an esset Christus? Quorsum tandem legatorum Synedrii ad Christum TU ES *o* QUI VENIS, AN ALIUM EXPECTAMUS.

VI. Nec aliam porro Iacobei vaticinii obtinuisse apud Iudaeos interpretationem, locupletissima etiam nobis testimonia exhibent profanae historiae, quarum amplius auctoritate Rabbinorum perfidiam frangere commodum est. Nemo autem Suetonio et Tacito disertius rem expedire videtur, quippe tradunt, pertinaces Iudaeorum rebelliones adversus Vespasianum ex quodam Oraculo ortas, quo praedicebatur, post extinctum in Iudaea Regnum, proditurum ex Iuda regem, qui orbis universi sibi dominationem vindicaret. Adeo nimirum illis erat exploratum, tunc primum ablatum fuisse sceptrum de Iuda! Et quidem Tacitus ( *Hist. Lib. V. cap. XII.* ) *persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri*, EO IPSO TEMPORE FORE, *ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur.* Quaeso quid tanto apertius Testimonio? Et Suetonius ( in *Vespas.* cap. IV. )

*Percrebuerat Oriente toto vetus et* CONSTANS *opinio*, *esse* IN FATIS *ut* EO TEMPORE *Iudaea profecti rerum potirentur. Id Iudaei ad se trahentes rebellarunt* (3).

VII. Iam vero Iacobei Oraculi veriloquio, omni retro Orientis antiquitate, alienigenarumque auctoritate firmato, tametsi nobis peractum esset cum Rabbinis negotium omne; quum tamen in uno potissimum argumento exsultare adhuc videantur, expendamus et id insuper, ne cui fucus inde creetur. Aiunt igitur a tempore usque Babylonicae captivitatis in Rege Sedecia, qui abductus cum populo fuit, cessasse in Tribu Iuda regnum ( anno nimirum ante Chr. DLXXXIV. ) Post reditum vero e servitute ius summum penes Duces Assamonaeos fuisse, qui ex Tribu erant Levi; idque obtinuisse ad Herodem usque, donec Romani Iudaeam in Provinciae formam redegerunt. Ex quo illud sequitur, iamdiu ante

---

(3) Suetonio, et Tacito Iosephus praeiverat *Lib. III. de bel. Iudaic. cap. XXVIII.* et *Lib. VII. cap. XXXI. Quod autem Iudaeos ad bellum maxime incitaverat*, VATICINIVM *erat ambiguum* IN SACRIS CODICIBVS REPERTVM, FVTVRVM NEMPE, VT HOC TEMPORE EX EORUM FINIBVS ALIQVIS TOTI ORBI IMPERARET.

Christi adventum exitum habuisse Iacobeum vaticinium.

VIII. Sed quae ulla hinc operositas, modo pauxillulum attendatur et promisio tribui Iudae facta, et fatum ceterarum tribuum? nec enim in medium proferam, nisi quae ipsis sunt explorata Iudaeis. Profecto autem quum Iacob Iudae dixerit: *Iuda te laudabunt fratres tui, non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, non aliud Iudae tribui promisit, quam quod prae ceteris tribubus constanter ac perpetuo regnatura foret ad adventum usque Messiae; nimirum quod florens persisteret, quod propriis regeretur legibus, quod suos principes, ac magistratus haberet. Hanc autem promissionem reipsa adimpletam ecquis, audentissimus licet, inficiabitur.

IX. Constat enim unam Tribum Iuda et nomen, et auctoritatem tribubus omnibus dedisse, quum sola ex servitute Babylonica dimissa fuerit libera cum facultate suis legibus utendi: *Constitue Iudices*, ( ait Esdrae Artaxerxes Lib. I. Esdr. cap. VII. ) *ut iudicent omni populo qui est trans flumen . . et omnis qui non fecerit legem Dei, et legem regis diligenter, iudicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium.* Constat

praeterea decem tribus Israel, quae se a Iuda separarunt, fuisse tandem a Regibus Syriae in captivitatem adductas, et inter gentes dispersas; eosque, qui ex captivitate se quo quo modo subtraxerint, cum tribu Iuda commixtos; Tribus etiam Beniamin, partem etiam Tribus Simeon, pluresque Levitarum familias ita fuisse tribui Iuda insertas, ut post schisma illarum decem tribuum *Hebraei*, qui Roboamo adhaeserunt, non alio quam *Iudaeorum* nomine adpellati fuerint. Hinc *Reg. Lib. III. Cap. XII.* 20. *Nec sequutus est quisquam domum David praeter tribum Iuda solam.* Et *Lib. IV. cap. XVII.* 18. *Non remansit, nisi tribus Iuda tantummodo* (4). Ex quo factum

(4) Igitur Tribus Iuda lacinias ceterarum tribuum sibi veluti adrogavit, atque in communionem sui nominis, suaeque potestatis, ac iurium admisit. Hinc quamdiu Assamonaei principes Iudaicam Rempublicam administrarunt, sceptrum de Iuda non ablatum: his enim nonnisi vi adrogationis commune factum est sceptrum. Non secus Antonini Caracallae tempore, Civitate cum Orbe Romano communicata, Imperatores alii ex Africa, aliique Thracia imperitarunt; non tamen ut Afri, ut Thraces, sed ut Romani, et in Romanam civitatem adsciti; nec ullus umquam Romanum Imperium aut in Afros, aut in Thraces translatum tunc temporis dictitavit.

ut tota illa terra IUDAEA demum audierit.

X. Nimirum igitur ultimis ante Christum saeculis, tribus omnes ad unam redigendas esse, ad Iudam scilicet, intellexit Israel praenuntians: *Iuda laudabunt te fratres tui.* In hanc enim interpretationem convenientes invenio Rabbi Ionathan Ben Uziel in suo Targum: *Iuda te laudabunt fratres tui*, *et* VOCABUNTUR IUDAEI DE NOMINE TUO; et Targum Hierosolymitanum: *Iuda te laudabunt fratres tui*: *et* DE NOMINE TUO VOCABUNTUR OMNES IUDAEI (5); quin et totam Synagogam Iudaicam, quum nonnisi in synagogarum usum istae sint elaboratae paraphrases.

XI. Ita vero Iacobi sensu aperto, ecquis non videt, sceptrum in Tribu Iuda perseverasse usque ad Messiae adventum? Tum vero ablatum quum Reparatore terris adfulgente, Iudaea a Romanis subacta in Provinciam Populi Romani evasit, donec urbe tandem per Titum eversa, templo exusto, genteque exterminata, infelix Iudae tribus toto fuerit orbe dispersa.

---

(5) Vtrumque Targum videsis in *Polyglot. Londinens. tom. IV.*

## SECTIO II.

### *Ex Danielica Vaticinatione Messiam advenisse evincitur.*

I. Septuagesimo Captivitatis Babylonicae anno instante, deprecaturus Deum pro Iudaeorum libertate Daniel, sic fatus est illi Gabriel Angelus (Dan. Cap. IX. 24. seq.) *Septuaginta hebdomades abbrevitae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: et non erit eius populus, qui cum negaturus est. Et civitatem, et sanctuarium dissi-*

*pabit populus cum duce venturo : et finis eius vastitas , et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia ; et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem , et finem perseverabit desolatio.*

II. Sane hic inter futurum et praesens modo tollatur discrimen , iam non oraculum eorum quae longo post temporum intervallo erant eventura , sed descriptionem habes planissimam rerum , ut uti in tempore acciderunt. Neque enim ullus Prophetarum , inquit Hieronymus , tam aperto eloquio Christum , eiusque adventus tempora praenunciavit. Ex quo factum , ut ipso Hieronymo teste , veterum Iudaeorum constans fuerit sententia , Messiam hac vaticinatione praesignatum. Id quod ut manifestius pateat , singula oraculi commata expendere praestat.

III. SEPTUAGINTA HEBDOMADES ABBREVIATAE SUNT (hebraice definitae sunt) *super populum tuum , et super urbem sanctam tuam , ut consummetur* ( hebraice cohibeatur ) *praevaricatio , et finem accipiat peccatum , et deleatur iniquitas* ( hebraice ad expiandam iniquitatem ) *et adducatur iu-*

*stitia sempiterna.* Hem quibus expressis characteribus Christus designatur! qui in mundum venit, ut peccata tolleret mundi; quemadmodum et Isaias praedixit ( *LIII.* ), et adimpletum vidit Ioannes ( *I.* 29. ) *Ecce qui tollit peccata mundi.* Quamobrem IVSTUS praecinebatur a Prophetis ( *Ierem. XXIII.* 6. ) *Hoc est nomen quod vocabunt eum Dominus IVSTVS noster.* Et ( *Isaiae XLV.* 8. ) *Rorate Coeli desuper, et nubes pluant IVSTVM.* Neque enim iniquitas terrae expiari poterat, nisi a iusto; hinc (Act. X. 43. ) *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Et iterum ibid. *XIII.* 38. *Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, et ab omnibus, quibus non potuistis in Lege Moysi iustificari; in hoc omnis qui credit iustificatur.*

IV. ET IMPLEATUR VISIO, ET PROPHETIA. Nimirum Messias erat signaculum omnium Prophetarum, in quo implenda omnia, quae retro erant de eo nunciata. Hinc Christo nato finis prophetiis impositus; nemo enim deinceps apud Iudeos propheta, ipso Domino et Salvatore nostro Iesu Christo testante in Evangelio Matthaei ( XI. 13. )

*Omnes enim prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt*. Hinc in eodem Evangelio ( XXI. 4. ) *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod scriptum est per Prophetam dicentem cet.* Et Ioannis XIX. 28. *Sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura cet.* Et ibid. 36. *Facta sunt haec ut Scriptura impleretur.* Et Lucae XXII. 37. *Adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me.* Et XXIV. 44. *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Quo respexit Apostolus ad Romanos X. 4. inquiens : *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Unde Tertullianus in Libro adversus Iudaeos : « Itaque quoniam impleta est Pro- » phetia per adventum eius, id est per na- » tivitatem, et passionem, propterea et Da- « niel signari visionem et Prophetiam dice- » bat, quoniam Christus est signaculum om- « nium Prophetarum, adimplens omnia quae « retro erant de eo nuntiata : Post enim ad- « ventum eius, et Passionem ipsius, iam « non Visio, neque Prophetia. Unde firmis- « sime dicit, adventum ejus signare Visum, « et Prophetiam.

V. ET UNGATUR SANCTUS SANCTORUM ( hebraice Sanctitas sanctitatum ). Nimirum ut mittatur Christus hominibus, quo nomine unctus significatur: eratque Messias ut Propheta, Sacerdos, et Rex, non quidem terreno unguento, sed spirituali oleo ungendus. Quod praeclare David ostendit, his eum verbis compellans ( Ps. XLIV. ) *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Et Isaias (LXI. 1.) *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me.* Quod oraculum in se impletum Christus ipse in Synagoga sedens Iudaeos docuit, inquiens: ( *Luc. IV.* 17. ) HODIE IMPLETA EST HAEC SCRIPTURA.

VI. AB EXITU SERMONIS UT ITERUM AEDIFICETUR IERUSALEM. Nimirum ab edicti promulgatione, quo Iudaeis instaurandae Urbis facta est potestas. Id autem prono alveo ex Sanctis Libris, tum ex vetustis monumentis patet, edictum fuisse Artaxerxis Longimani anno Regni sui vicesimo (6) quo

(6) Quatuor a Persarum Regibus data scimus in gratiam Iudaeorum edicta. Primum Cyri ( Lib. I. Esdrae cap. I. ); alterum Darii Hystaspis ( I.

Nehemiae precibus victus potestatem Iudaeis fecit, muros Hierusalem, et plateas iterum aedificandi. USQUE AD CHRISTUM DUCEM idest usque ad Baptismum Christi; quo tempore Iesus Christus Ducem se populi, et Messiam exhibuit; namque latuerat usque adhuc, nec hominibus gloriam suam manifestaverat. HEBDOMADES SEPTEM, ET HEBDOMADES SEXAGINTA DUAE ERUNT: Scilicet hebdomades sexaginta novem anno-

---

Esdrae VI. ); tertium Artaxerxis Longimani, anno Regni eius septimo ( I. Esdrae VII. ) quartum eiusdem Artaxerxis anno Regni eius vicesimo ( II. Esdrae II. ). Verum et Cyri, et Darii Hystaspis edicto Templi dumtaxat restaurandi, non reparandae Urbis potestas facta Iudaeis. Primum item Artaxerxis nonnisi Templum, et sacrificia tantum spectat. Alterum vero Urbis aedificationem permittit, antehac non concessam. Atque edictum postremum hoc est, a cuius promulgatione septuaginta hebdomadum ducendum est exordium. Accedit porro et Flavii Iosephi auctoritas, qui *Antiq. Iudaicar. Lib. XI. cap. V.* auctor est, Nehemiam, *quum iam annum quinctum et vicesimum in regno ageret Xerxes* ad aedificandam Hierusalem accessisse. Xerxem autem anno Regni sui quincto Artaxerxem Longimanum filium in Regni consortium adsumpsisse non indubia monumenta evincunt.

rum (7) erunt, quae annos efficiunt quadringentos octoginta tres, quot reipsa effluxerunt ab anno vicesimo Artaxerxis Longimani ad Christi Baptismum, ut plane ex exactissimis clarissimorum Chronologorum computationibus constat (8). ET RURSUM AEDIFICA-

---

(7) Hebdomadae vox apud Iudaeos vel pro dierum hebdomada usurpatur, quemadmodum *Levit. XXIII. Numerabitis septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadae septimae, id est quinquaginta dies*; vel pro hebdomada annorum ut *Levit. XXV.* 8. *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, idest septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem.* Porro in hac Danielis Prophetia dierum hebdomadae intelligi nequeunt, quod tam brevi intervallo, unius circiter anni cum dimidio, insigne nihil in Iudaeorum Regno contigit. Reliquum id igitur est, ut omnino de hebdomadis annorum intelligatur.

(8) Praeter antiquos Patres Iulium Africanum, S. Ioannem Chrysostomum, Theodoretum, Bedam, et S. Thomam, habemus in hanc computationem convenientes Petavium *Lib. XII. de Doctrina temporum Cap. XXXI.* Ludovicum Cappellium in *Chronologia Sacra ad Tab. II.* Ioannem Lucidum *Lib. VII. de Emendatione temporum.*

*

BITUR PLATEA IN ANGUSTIA TEMPORUM. Sane ex Artaxerxis edicto iterum muri Hierusalem aedificabuntur, verumtamen in tanta temporum angustia, ut prementibus Iudaici populi hostibus, muros manu altera aedificare, altera gladium ad defensionem tenere cogendi sint Iudaei. Id quod et iuxta prophetiam completum est; nam Esdra auctore (*Lib. IV. Cap. XVI.*) *Factum est a die illa, media pars iuvenum eorum faciebat opus, et media parata erat ad bellum, et lanceae, et scuta, et arcus, et loricae, et principes post eos in omni domo Iuda. Et aedificantium in muro, et portantium onera, et imponentium: una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium. Aedificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes.*

VII. ET POST HEBDOMADES SEXAGINTA DUAS (adde: supra septem; nam superius dixit *hebdomades septem, et hebdomades sexagintae duae erunt* (9).) Nimirum

(9) Quorsum inquies ista annorum, hebdomadumque divisio in tres partes? Sane maioris perspicuitatis caussa, ut certissimam, et nulli obnoxiam errori quis habeat regulam, maxime vero ut ultimae hebdomadae anni distinguantur. Ait enim: post sexaginta novem hebdomadas, hoc est post quadringentos octoginta tres annos ungetur

igitur post hebdomades sexaginta duas supra septem, et ut pressius dicam, post hebdomadam sexagesimam nonam exactam, et hebdomada septuagesima iam inchoata. OCCIDETUR CHRISTUS, idest crucifigetur, ac morti dabitur, quemadmodum David praedixerat Psalmo XXI. *In pulverem mortis deduxisti me: Quoniam circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obsedit me: Foderunt manus meas, et pedes meos.* Et Isaias (LIII. 7.) *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* ET NON ERIT EIUS POPULUS, QUI EUM NEGATURUS EST. Nimirum Populus Iudaicus qui Christum publice coram Praeside Pilato erit negaturus, clamans: *non habemus regem nisi Coesarem, tolle, tolle, crucifige eum*, a Christo reprobabitur; nec amplius erit populus Dei iuxta id quod Oseas praedixerat (I. 10.) *Voca nomen eius: non populus meus: quia vos non populus meus, et ego non vester Deus.*

---

Sanctus Sanctorum, scilicet ineunte septuagesima hebdomada declaratus est Messias quum in Iordane vox Patris de coelo audita est: *Hic est Filius meus dilectus*; Exinde Evangelium suum multis miraculis confirmavit usque ad medium eiusdem hebdomadae, sive ad annum quartum, quo crucifixus est.

VIII. ET CIVITATEM, ET SANCTUARIUM DISSIPABIT POPULUS CUM DUCE VENTURO. ET FINIS EIUS VASTITAS ET POST FINEM BELLI STATUTA DESOLATIO. Horrendam comminationem vel tunc non credentes experti sunt Iudaei, quum per populum Romanum ferro, flammaque sunt Hierosolymae vastatae, templumque incensum, ac solo aequatum, Iudaeis partim occisis, partim expulsis, ac in omnes ventos dispersis. Sane conatus omnes impenderat Titus, ne stupenda illa Templi moles flammis absumeretur, sed Divini furoris vis cohiberi non potuit; implenda enim erant prophetarum oracula. Atque haec in poenam abnegationis Christi, cuius iugum suave, et onus leve recusantes Iudaei, omni imperio exspoliati, tum templo, urbe, patria extorres, miseram damnati sunt sub exosis sibi dominis ubique terrarum servire servitutem. Ne quis autem putet, vix hac exacta hebdomada occisum iri Christum, vel excindendam Hierosolymam, e vestigio subdit, quod rescisso antiquo foedere cum perfidis Iudaeis, novum sanciet cum aliis gentibus.

IX. CONFIRMABIT AUTEM PACTUM MULTIS HEBDOMADA UNA. Nimirum septuagesima hebdomada, quae ultima erit, no-

vum, et aeternum pactum Deum inter et homines, cum multis, quos ad se adducet, tum ex Iudaeis, tum ex gentibus sanciet Christus; eiusque conditiones ac leges explicabit praedicando, docendo, faciendo, tum et innumeris stupendisque miraculis, ac sanguine et morte demum sua confirmabit. Quamobrem et ipse dixit ( Matth. XXVI. Marc. XIV. Lucae XXII. ) *Hic est sanguis meus* NOVI TESTAMENTI, *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Apostolus ad Hebraeos Cap. VIII. *Nunc autem melius sortitus est ministerium quanto et melioris testamenti Mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Et Cap. IX. *Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis. Ubi enim Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: Alioquin nondum valet, quum adhuc vivit qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.*

X. ET IN DIMIDIO HEBDOMADIS DEFICIET HOSTIA, ET SACRIFICIUM. Nimirum quarto septuagesimae hebdomadae an-

no, ubi occisus erit Christus, oblatumque fuerit immaculati agni, qui tollit peccata mundi, verum Sacrificium, Sacrificia Mosaicae legis evacuabuntur omnia, deficietque hostia; umbram enim habebat Lex futurorum bonorum. Id Christus Dominus significavit quum moriens clamasset CONSUMMATUM EST ( Ioannis XIX. 30. ). Ideoque et consummato sacrificio quum emisisset spiritum, *Velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum* ut arcana omnia eousque clausa paterent. Hinc Theodoretus Commentario in Danielem: *Quum enim velum separaret a sanctis Sancta Sanctorum, in quibus erant Propitiatorium, et Cherubim, et Arca, fractum totum velum rebus ipsis ostendit quemadmodum ab interioribus partibus, quae ibi custos assidebat gratia recesserit, et communia illa facta sint, ad quae pridem soli Principi Sacerdotum aditus patebat. Hoc autem contigit cum sacrificium pro universo Mundo esset oblatum.*

XI. ET ERIT IN TEMPLO ABOMINATIO DESOLATIONIS. Mortuo Christo, ac promulgato per annos ferme quadraginta novo foedere, Populus Romanus duce Tito Civitatem vastavit, evertit; et una destructum ac desolatum est templum non sine abominatio-

ne ob iudaeos inibi iugulatos, evisceratosque, et ob signa deorum, et idola in Templum illata, quae in usu Scripturarum abominationes dicuntur (10). Quod sane Danielicum Oraculum de se Christus Dominus est interpretatus ( *Matth. XXIV.* ) *Quum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto... tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes.* Et Lucae *XXI. Quum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia adpropinquavit desolatio eius.*

XII. ET USQUE AD CONSUMMATIO-

---

(10) Satis id ex historiarum monumentis compertum, quamdiu a Romanis gratiae aliquantulum Iudaeis fuit appositum, ostentata numquam in Iudaea fuisse deorum, Coesarumque signa. Res Vitellii Imp. facto comprobata, qui Provinciam istam, Arabiae bellum illaturus traiiciens, exercitum absque vexillis traduci iussit. Postremo at bello Iudaico haud quid genti parcitum, quam e medio sublatam volebant Romani; obsessa enim Hierosolyma, tot idolis, quot vexillis Romanis circumdabatur. Atque tunc primum abominatio in loco sancto apparuit. Immo ipso Flavio Iosepho teste *Lib. VI. de bello Iudaic. Cap. VI. Romani signis in Templum illatis, positisque contra portam orientalem, illis ibi sacrificarunt.*

NEM ET FINEM PERSEVERABIT DESOLATIO. Oraculi firmitatem abunde sunt experti Iudaei, quum iterum iterumque templi aedificationem, sollicitantibus licet, atque summa ope connitentibus Imperatoribus Ethnicis in odium Christianae Religionis tentaverint, atque iterum iterumque prohibiti sint. Sane Iulianus Christi Domini verbum, quo desolationem istam usque ad consummationem et finem perseveraturam edixerat, irritum se reddere posse arbitratus; ipsis est usus adiutoribus Iudaeis ad id quod moliebatur perficiendum. Sed et praevalida tempestas primum, ac turbines, et venti furentissimi collectam immanem gypsi et calcis vim disperserunt, mox terraemotus factus est ingens, cuius vi disiecta dirutaque paene omnia, quae adhuc restabant. Demum quum fossas, quas terraemotus oppleverat iterum foderent, ignis e fundamentis erupit, quo alii absumpti, combustique, aliis membra semiusta, minutaque sunt, ut viva iustitiae Dei in peccatores extarent simulacra (11). Et

(11) Rem totam, ne quis dubitandi locus relinqueretur, testatissimam adprime faciunt non modo Ecclesiastici Historici omnes Rufinus, et Theodoretus *Lib. III. Hist. Eccles.* Catholici; Socrates, et Sozomenus *Lib. V. Hist. Eccl.*

tunc maxime completum est Ieremiae vaticinium ( XIX. v. 11. ) *Sic conteram popu-*

---

*Cap. XXII.* errorum Novatianorum insimulati; ac Phylostorgius Eunomii sectae addictus *Lib. XII. Hist. Eccl. Cap. XX.* Non modo illius aevi praestantissimi Patres fideque dignissimi Gregorius Nazianzenus Cappadociae *Orat. IV. advers. Iulian.* Ambrosius Italiae *Epist. XXIX. ad Theodosium*, Chrysostomus Syriae *Orat. III. in Iudaeos*, tum et *Homil. IV. in Matth.* et *Homil. XLI. in Act.* Et *Serm. II. in S. Babylam* testati ita sunt, ut recentior ex iis, vicesimo vix elapso anno coram magna audientium turba id commemoraverit; verum ipsi Christianae Religionis hostes suo comprobarunt testimonio. Profecto enim Ammianus Marcellinus, Scriptor Ethnicus, Iuliano Coaevus, et Christianorum osor acerrimus vanos Iuliani pro restauratione templi Hierosolymitani conatus enarrans, auctor est Alypium aedificio instaurando praepositum ab opere cessare debuisse ob metuendos flammarum globos, qui e fundamentis erumpebant: *Ambitiosum* ( inquit Libro XXIII. ubi de Iuliano Imp. ) *quondam apud Ierosolymam Templum, quod post multa et internecina certamina, obsidente Vespasiano, posteaque Tito, aegre est expugnatum, instaurare sumptibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum Alypio dederat. Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius, iuvaretque Provinciae Rector, metuendi globi flammarum prope funda-*

*lum istum, et civitatem istam sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari.* Completum est et Isaiae praedictio (XXV. v. 2.) *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam domum alienorum, ut non sit civitas, et* IN SEMPITERNUM NON AEDIFICETUR. Completa et ipsius vox Domini dicentis *non manebit lapis supra lapidem.*

XIII. At vero Iudaeorum excoecationem deplorandam post haec manifestissima signa iamdiu posita, iamdiu et in Christo impleta, ecquis suspicere siccis oculis poterit? Vident hebdomadas iampridem exactas, vident Civitatem excisam, templum incensum, ac solo aequatum, dissipatum populum, hostiam et sacrificium abrogatum, visiones et prophetias omnes impletas, Messiam tamen non agnoscunt, non credunt. Heu miseros! Saltem haberent unde suam fovere incredulitatem. Sed quibus somniis, quibus vel deliramentis invictissimi oraculi vim declinare adnitentur? Satisne erit Rabbi Salomoni (*Expos. sup. Danielem*) effutire id oraculum ad Cyrum

*menta crebris assultibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: Hocque modo elemento destinatius repellente; cessavit inceptum.*

pertinere? Satisne Aben-Ezrae id de Nehemia interpretari? Satisne aliis de Zorobabele, vel de Rege Agrippa II. vel de Antiocho (12) id explicare? Sed videant coeci ne ratio temporum turbetur, pessumque eat chronotaxis septuaginta hebdomadum. Cedam id quoque. Dicant tamen ecquis horum *Sanctus Sanctorum* et iustitia sempiterna dici poterit? Dicant sub quonam *expiata est iniquitas terrae?* In quo *obsignata fuerit visio, et prophetia?* Dicant ecquis horum post hebdomadas sexaginta duas, ab edicto de Urbis Hierusalem aedificatione promulgato, occisus fuerit; et in quo *defecerit hostia et sacrificium?* Demum quo tempore sequuta *dissipatio civitatis, et sanctuarii, et abominatio desolationis usque ad consummationem, et finem perseveratura*, nisi post occisum Iesum Nazarenum, quem verum Messiam obcoecati in propria venientem non receperunt?

---

(12) Quem autem implacandus irascor is est Io: Harduinus suis paradoxis famosus, qui in *Chronol. VI.* Christum a Daniele praedictum, Oniam Pontificem fuisse contendit, qui a Menelao Andronici manu occisus fuit *II. Machab. IV.* 34. quem digne exagitavit Cl. P. Bernardus Lamyus in *Appar. Chronol. ad Comment. in Harmon. Evang.*

XIV. An vero illud saltem Rabbinos iuvaret, dici non posse *consummatam praevaricationem*, *deletam iniquitatem*, *et adductam iustitiam sempiternam* post adventum Christi, quum vitia ubique grassentur, inter Christianos maxime (13)? Sed res glossemate non indiget. Satis perspicue Oraculum docet, Christi morte Divinam iustitiam pro mundi peccatis expiandam, ut revera expiata est, et suppeditanda hominibus remedia, quibus et praeterita purgare, et futura possint cavere (14). Id quod opportune praedixit Isa-

(13) Potissimum id Rabbinorum argumentum, in quo triumphare videtur Rabbi Isaac in *Munim. Fid.*

(14) Hunc autem esse Danielis effati explicatum, subactiores Iudaei confessi sunt, in primis Rabbi Simeon in *Beressith Rabba*, et Rabbi Manasse ben Israel in *Termino Vitae*; ubi et hanc fuisse veterum Iudaeorum sententiam, aperte adserit. Accedit sincera Rabbi Samuelis confessio in epistola ad Rabbi Isaac, quam in Dionysii Carthusiani Commentariis habes, in haec verba: « Videtur, Domine mi, Danielis Prophetia, quae « scribitur nono Capite, iam completa esse; ubi « sic dicitur: *Post sexaginta duas hebdomadas « occidetur Christus; et veniet populus cum Prin- « cipe venturo, destruetque Civitatem, et do-*

ias ( *LIII. 5.* ) *Ipse autem vulneratus est propter scelera nostra, et livore eius* SANA-

---

« *mum , et erit consummata destructio desola-*
« *tionis perpetuae*. Et non est, Domine mi , du-
« bium , quin destructio perpetuae desolationis
« sit haec captivitas , in qua iam sumus. Nam
« iam sunt mille anni , et aperte dicit Dominus
« per Prophetam , quod erit desolatio perpetua
« propter occisionem Christi , sicut est desolatio
« nostra post occisionem Christi. Non enim com-
« minatus est desolationem perpetuam , nisi post
« occisionem Christi. Et si voluerimus dicere quod
« ante occisionem Christi fuerimus in desolatio-
« ne : Respondent nobis Christiani , quod ante
« illam mortem non fuit desolatio nisi septuaginta
« annis ; et post hoc fuimus reducti in Terram
« Promissionis , et fuimus apud Deum in gratia
« et honore. Certe , Domine mi , non video eva-
« sionem. De facto enim probatur nobis , quod
« postquam a reaedificatione Templi completae
« fuerunt septuaginta Hebdomades annorum, tunc
« Iesus occisus a Patribus nostris , et postea ve-
« nit Dux , scilicet Titus ; et Populus , scilicet
« Romani , et fecerunt nobis secundum Prophe-
« tiam istam. Hodie sunt mille anni , et nihilo-
« minus in ira Dei sumus ; et tamen nos in ipso
« speramus , expectantes adhuc venturum Mes-
« siam , et reversuros nos in Terram Promissio-
« nis ; et Civitatem atque Templum instauraturos,
« futurosque in gratia , et honore apud Deum :

TI SUMUS; cuiusmodi et innumera patent in Scripturis testimonia. Adhuc igitur quid Rabbinis restat, nisi ut removeant tandem ab oculis velamen tenebrarum, ut videntes credant, ut credentes videant?

## SECTIO III.

*Ex Aggaei, et Malachiae Prophetiis Messiam advenisse evincitur.*

I. At vero ubi temporis plenitudo adpropinquabat, adhuc clarius venturi Regis missionem desideratissimam Divini nunciarunt vates. Hinc Aggaeus inconsolabiles Iudaeos ( quippe antiqui Salomonici Templi gloriam maiestatemque in Zorobabelico post Babylonicam captivitatem excitato desiderabant ) ut altiori proposita spe relevaret: *Haec dicit Dominus exercituum,* ( inquit Cap. II. ) *adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum, et terram, et mare et aridam,*

---

« Nec desolationem hanc fore perpetuam, sed « temporalem. Heu, mi Domine, non est ista « excusatio, et evasio consona: et vana videtur « talis expectatio.

*et movebo omnes gentes*, ET VENIET DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS, *et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum . . magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae, dicit Dominus exercituum: et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

II. Templum igitur Zorobabelicum Salomonico longe splendidius futurum, Dei Interpres praenunciat, eo quod Messiae praesentia erat exhilarandum. At vero tota quanta quanta erat, funditus est eversa Templi moles in postrema illa Urbis sub Tito calamitate; abhinc et septingenti supra mille effluxerunt anni, ergo venit iam ante excidium Messias gloriae Princeps; qui id erat sua maiestate impleturus. Sed quid hoc: *adhuc unum modicum* quum anni prope quingenti ab Aggaei vaticinio ad Christi adventum numerentur? Utique modicum; namque iam ter mille quingenti et amplius anni erant, ex quo Messias expectabatur.

III. Quis at Rex gloriae iste, qui adventu suo commovebit coelum et terram, et movebit omnes gentes, nisi Iesus Nazarenus? Sane commotum est Coelum, quum Gabriel Angelus ad Hebraeam Virginem missus; quum Coelestis exercitus supra Bethleem in eius

ortu convenerit; quum stella Magos ad praesepe adduxerit; quum vox Patris de Coelo intonuerit in eius baptismo; quum Spiritus Sanctus tamquam ventus vehemens linguarum ignis specie in discipulos sit prolapsus; quum Sol in eius morte defecerit.

IV. Commota est terra innumeris patratis a Domino miraculis. Commota et portentis ingentibus, quum Oraculum Delphicum, et quae multa antehac loquebantur, veluti ex condicto siluerint, teste Tullio *Divinat. Lib. II.* Quum deorum signa in Capitolio conciderint, ut ex Dione Lib. XXXVII. Commota est orrendo terraemotu, qui ubique terrarum Christo exspirante insonuit, de quo Plinius *Lib. II. Cap. XLVIII.* Commota demum commotione omnium gentium, per Evangelii praedicationem in universam terram, horrendasque ubique Christianorum strages, diris saevientibus undique persecutionibus.

V. Commotum est mare, et ex consensu quum terra illo moriente est concussa. Commotum, quum illi tumido, ac fremebundo imperavit Christus, et sedatis procellis facta est tranquillitas. Commotum, aquas ubi suas sensit, sanctissimis illius pedibus calcatas.

VI. Vel quis porro est iste DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS, qui veniet

impleturus gloria domum, nisi Christus, quem Iacob futurum *expectationem gentium* nunciavit ( Genes. XLIX. ) ? Vel quis DOMINUS EXERCITUUM, qui daturus erat pacem mundo, nisi Iesus Nazarenus, qui ab Isaia PRINCEPS PACIS praevocabatur, in quem et Zacharias Baptistae pater intenderat: *illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros* IN VIAM PACIS? Quo terris adfulgente pax hominibus est nunciata ab Angelis *Gloria in excelsis Deo, et in terra* PAX HOMINIBUS *bonae voluntatis*. Qui in hoc ipso templo *Evangelium pacis* erat ipse praedicaturus, et templo adhuc stante pacem erat morte sua daturus mundo, non quomodo mundus dat, sed quae peccata exinguit; Qui post resurrectionem suam discipulis, et proinde credentibus omnibus in ipsum, pacem dedit inquiens PAX VOBIS?

VII. Sed et adhuc expressius de Messiae ingressu in Zorobabelicum templum Malachias inquit *Cap. III. Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis*. Porro quis Dominator, quem Iudaei quaerebant, et An-

gelus Testamenti, quem expectabant, nisi Messias qui in templum suum erat ingressurus? Quum autem templum hoc ab octodecim ferme saeculis sit eversum, dicant Iudaei, quisnam alius esse poterit Messias, nisi Christus Iesus, qui adhuc parvulus ingressus est Templum, quum a Virgine Matre ex purificationis lege oblatus est hostia, Deo acceptissima, aliquando mactanda?

VIII. Ingressus utique est templum Iesus Messias, quemadmodum praedictum erat ab Aggaeo, et Malachia, et ibi ad perpetuam Iudaeorum non credentium confusionem, testimonium suae Divinitatis, missionisque suae accepit, et accepit non ab alienigena, vel gentili, sed a Iudaeo, qui videns Iesum, vidit gloriam novi templi, antiquo longe illustriorem, vidit in quem intenderant Prophetae, quem Patriarchae suis iamdiu sollicitabant votis, Angelum Testamenti, dominatorem gentium; et videns prophetavit reprobationem Iudaeorum, qui in propria venientem recepturi non erant. Is fuit Simeon vir iustus, qui Redemptorem suum cunctis desideratum gentibus a saeculis promissum in templo aspiciens, hanc Deo plenus eructavit vocem (Lucae Cap. II.) *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum*

*in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.* Adhuc vero Iudaeorum perfidiam, incredulitatemque veluti prae oculis habens, sic fatus est Virginem Matrem: *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

### Sectio IV.

## *Ex Vaticinatione conversionis gentium et adflictionis Iudaeorum Messiam adstruitur advenisse.*

I. In rem nunc longo probatam experimento sermonem intendo, ne quid intentatum relinquam, quod obstinatae pervicaciae non convincat Iudaeos. Primum vero ex Prophetarum libris id constat, Messiam. qui salvaturus erat mundum. EXPECTATUM GENTIBUS dici. Hinc Iacob ubi de Iuda proditurum illum vaticinatur, *et ipse*, inquit, *erit* EXPECTATIO GENTIUM. Isaiae item XLII. 6. *Dedi te*, inquit Deus, *in foedus populi*, IN LUCEM GENTIUM, *ut aperi-*

*res oculos coecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Et XLIX. 6. *Ecce dedi te* IN LUCEM GENTIUM, *ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Et Aggaei II. 8. *Et movebo* OMNES GENTES, *et veniet* DESIDERATUS CUNCTIS GENTIBUS. Iam vero conversionem gentium in Christo Iesu impletam, quis non videt? Nec enim in eo morabor, quod demonstratione non indiget. Ex quo Iudaeos exagitat Tertullianus *Lib. adv. Iud. cap. XII. Aspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes ad Dominum Deum Creatorem, et ad Deum Christum eius. Et si audes, nega prophetatum. Statim tibi promissio Patris occurrit in Psalmis dicens*: « Filius meus es tu, ego hodie genui te; pete a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae ».

II. Et sane conversio gentium ex illo est auspicata Christi praecepto, quod Apostolis suis fecit *Marc. XVI.* 15. *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni Creaturae.* Quod et in Iudaeorum condemnationem expressissime fuerat ab Isaia praedictum ( *LXVI.* 19. ) *Mittam ex eis, qui salvati fuerint, ad gentes in mare, in*

*Africam, et Lydiam tendentes sagittam: In Italiam, et Graeciam, ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gentibus, et adsumam ex eis in Sacerdotes, et Levitas, dicit Dominus.*

III. Nec vero impleta tantum conversio Gentium, missis per universum orbem Apostolis; sed et illud insuper, assumpturum se ex gentibus novos Sacerdotes qui offerrent novum sacrificium, quod ipse reprobato veteri instituit, obtulitque, hostiam nempe mundam, Deo acceptam corporis et sanguinis sui. Quod apertissime praenunciavit Malachias ( *I.* 7. ) *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum* IN GENTIBUS, *et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Munda sane, quandoquidem nec indignitate offerentium potest unquam inquinari.

IV. Iam autem dicant Iudaei, an non complementum conversio gentium acceperit simul atque Provincias mundi sortiti sint Apostoli, et nomen Dei, Evangeliumque praedicaverint per universum orbem? Sane testis

est Apostolus *ad Rom. X.* 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*, quod expressissimis verbis praedictum erat in *Ps. XVIII.* Atque in hoc etiam consummata est vaticinatio Isaiae ( *LXVII.* ) quam contra Iudaeos idem Apostolus urget ( *ad Rom. IX.* 20. ) *Inventus sum a non quaerentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.*

V. Nisi vero gentem hanc, Deo antehac dilectam, ipsa eius obfirmata perversitas, ac crimen gravissimum, quo se obstrinxit, prorsus non fascinasset; resipiscere vel commoveri saltem debuisset, impleta ubi propriis oculis vidit incredulitatis mala quae ventura illi Christus denunciaverat. Ipsimet enim audiverant Iudaei inclamantem Iesum ( *Matth. XXIII.* 37. ) *Hierusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* ECCE RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA. Ipsimet, dum laeta omnia in Civitate resonabant, lacrymantem viderant Jesum super illam, dicentemque ( Luc. XIX. 41. ) *Quia si cognovisses*

*et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo . . et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.* Ipsimet tandem et tempus quo consummanda ista erant, expressissimis verbis a Christo acceperant ( *Matth. XXIV.* 34. ) *Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant.*

VI. Et quidem quum generatio illa nondum praeteriisset, anno nimirum post Christum sexagesimo octavo, quae suis auribus Iudaei ante tempus a Christo nunciata audiverant, haec et suis oculis in tempore consummata viderunt. Urbem enim longa facta obsidione invadunt Romani, in qua ferro, fame, ac flamma undecim centena millia Iudaeorum concidisse, testis est, isque haud suspectus, Flavius Iosephus Iudaeus *Lib. VII. de bel. Iudaic. cap. XVIII.* reliquiis populi ad nonaginta et septem millia hominum in servitutem abductis. Quamobrem Dei vindicis manum in excidio illo Hierosolymitano ipse agnovit Iosephus ( ibidem Cap. III. ) *Deus*

*profecto Deus, ipse cum Romanis ignes lustrales ipsi templo iniicit, et Civitatem tot piaculis plenam excindit.* Et Cap. X. *Templum invito Tito exuritur.* Quod et ipse Iudaeorum subactor Titus palam est confessus ( ibid. Cap. XVI. ) quum solida murorum altitudine conspecta, et singulorum lapidum magnitudine, et accurata compage, et quantum hi in altum, quantum item in latum paterent, inquit: *Deo favente bellum gessimus, et Deus ab istis munitionibus Iudaeos detraxit: Nam quid manus hominum, vel machinae possunt adversus has turres?* Quum autem vastatae urbis, templique incensi vestigia adhuc superessent, ut omnino consummaretur, quod Christus praedixerat ( Luc. XIX. 44. ) *Et non reliquent in te lapidem, super lapidem*, quinquagesimo post excidium anno Aelius Hadrianus Imperator, priscae urbis lapides in viciniam transtulit, quibus aedificaretur Civitas altera, cui ex suo nomine *Aeliae* fecit nomen. Et ita lapis supra lapidem relictus non fuit.

VII. Exinde vero Iudaici populi laciniae, veluti vento raptae, huc illuc per universum orbem volitant, nullibi certam nactae sedem per octodecim ferme saecula. Sed qui factum ut antiqui Iudaeorum domitores Aegyptii,

Syri, Persae, ac demum Romani omnino post tantas temporum vices perierint, Iudaei vero illorum subacti armis, ac toties horrendis stragibus pene extincti, supersint adhuc? Sane et illud implendum erat, quod per Hieremiam Prophetam scriptum est ( XLVI. 28. ) *Ego consumam cunctas gentes, ad quas eieci te, te vero non consumam.* Iusta quidem Dei iudicia! *Sunt Iudaei* ( Augustini verbis utor Enar. I. in Ps. LVIII. ), *non sunt occisi, necessarii sunt credentibus. Nam per omnes gentes dispersi, testes iniquitatis suae sunt, et veritatis nostrae. Ipsi habent codices, in quibus prophetatus est Christus, et nos tenemus Christum. Et si quando forte aliquis Paganus dubitaverit, quum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit, et admirans putaverit a nobis esse conscriptas, de codicibus Iudaeorum probamus, quia hoc tanto ante praedictum est. Videte quomodo de inimicis nostris alios confundimus inimicos!*

## CAPUT II.

### *De Necessitate, et Caussa Incarnationis Dominicae.*

#### Sectio I.

*Quid de necessitate Incarnationis, et de condigna satisfactione exhibenda senserint Patres.*

I. Homo post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, poena mortis, et damnationis obstrinxit, ut quidquid prolis ex illo, et simul damnata, per quam peccaverat, coniuge per carnalem concupiscentiam nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus, et possessoribus, et consortibus suis sine fine supplicium. Iacebat itaque in malis, vel etiam volvebatur, et de malis in mala praecipitabatur tota humani generis massa damnata, et adiuncta parti eorum, qui peccaverunt, Angelorum, lue-

bat impiae desertionis dignissimas poenas. ( *Augustin. Enchir. cap. XXVI.* )

II. Delenda ergo erat talis culpa ; sed nisi per sacrificium deleri non poterat ; quaerendum erat sacrificium, sed quale sacrificium poterat pro absolvendis hominibus inveniri ? Neque enim iustum fuit ut pro rationali homine brutorum animalium victimae caederentur. Ergo si bruta animalia propter rationale animal, idest pro homine dignae victimae non fuerunt, requirendus erat homo, qui pro hominibus offerri debuisset, ut pro rationali peccante, rationalis hostia mactaretur. Sed quid quod homo sine peccato inveniri non poterat; et oblata pro nobis hostia, quando nos a peccato mundare potuit, si ipsa hostia peccati contagione non careret? Inquinata quippe iniquitates mundare non potuisset. Ergo ut rationalis esset hostia, homo fuerat offerendus ; ut vero a peccatis mundaret hominem, homo sine peccato. Sed quis esset sine peccato homo, si ex peccati commixtione descenderet ? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa. Fecit pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quae et huma-

nitate mori, et iustitia mundare potuisset." (*Gregor. M. Moral. Lib. XVII. cap. XVIII.*).

III. Ergo nisi Deus homo fieret, et per adsumptam carnem hominum peccata expiaret, satisfactum nusquam plene esset Divinae iustitiae. Non aliud enim sacrificium quam hominis sine peccato desiderabatur; ut iniuria Deo irrogata plena satisfactione compensaretur. Atque hinc est, ut eam potentissimam in primis urgeat rationem Athanasius, ut necessariam Dei Incarnationem ostenderet Orat. II. contr. Arianos, quod scilicet nemo praeter Deum hominem sit αναμαρτητος; suaque natura omnis peccati expers. In quem sensum et Patres omnes convenerunt, quorum paucula dumtaxat, et veluti tumultuarie corrogabo testimonia. Sane enim ut ab Eusebio Caesariensi incipiam, haec is Lib. VII. de Dem. Evang. Cap. II. *Quod per peccata carnis olim lapsi erant omnes homines; merito per eum qui peccati expers erat, et ab omni malitia intactus erat, trophaea de victis hostibus excitata sunt.* Et Lib. I. adv. Sabel. *Qui peccatis subiacet, aliena portare delicta non potest. Qui autem non peccavit, neque scit peccatum; iste sua virtute aliorum assumit, et tollit peccatum.* Proclus item Epi-

scopus Constantinopolitanus in Homilia in Beatam Virginem, quae est initio Ephes. Syn.»
» Duorum, inquit, alterum oportebat fieri:
» vel omnes sententiae mortis subiici, eo quod
» omnes peccaverunt; vel eiusmodi pretium
» rependi, quod ad illam rescindendam da-
» mnationem pleno iure valeret. Iam vero
» salutem homo conferre non poterat; quip-
» pe qui et ipse peccati debitum contraxe-
» rat. Sed nec Angelus humanum genus po-
» terat redimere. Nam talis pretii inops
» erat. Restabat igitur ut pro iis, qui pecca-
» verant, impeccabilis Deus moreretur. Id
» enim supererat unicum mali remedium ».
Suffragatur Eusebius Emissenus Homil. VI. de Paschate: *Non subvenire peccato poterat simili peccato obnoxius: nec intervenire pro servis adstrictus legibus servitutis.* Cyrillus quoque in Libro de Recta Fide Cap. II. eamdem in humana natura fuisse necessariam ἀναμαρτησίαν asserit, ut a morte ac peccato liberari posset; quod et calculo suo Ioannes Damascenus confirmat *Lib. III. cap. I.* Ex Latinis autem Patribus Augustinum memoro qui Ioannis verba expendens: *Et scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, et peccatum in eo non est*; haec opportune subdit in Tract. VI. in Epist. Ioan. *In quo non*

*est peccatum, ipse venit auferre peccatum; nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret.* Et Ambrosium. *Hic solus potest sanare vulnera mea, qui sua nescit.* Paria Gregorius Papa habet Lib. XXIV. Moral. cap. II. *Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus intervenire potuisset: quia nimirum alienae pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret.* Bernardus demum Hom. XXVIII. in Cantic. » Oportet namque esse « sine peccato eum, qui tollit peccata mun- » di, quo ad reconciliandos peccatores in- » ventus idoneus, iure sibi nomen vindicet » Salomonis. «

IV. Quod quatenus iterum iterumque insinuaverint Patres, paucis libet enucleare. Quo plus aliena benignitate quis indiget ad debitum solvendum, eo minus iustitiae redemptionis satisfacit. Neque enim par est, ut qui solvere antiquas conatur, novas subeat obligationes: qui autem peccare potest, quantumvis iustus Divinae debet bonitati, si non labatur, et peccet; nam ut ait Augustinus Hom. LIII. *Nullum est peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.* Minor igitur ad iustam satisfactionem est pu-

ra creatura, quae peccare potest. Ac propterea hinc est cur in Redemptore ac Mediatore qui pro hominibus plene ac condigne satisfacere possit, id requiri perpetuo docuerint Patres, quod peccati funditus expers, et immutabilis sit, hoc est ατρεπτος, et αναλλοιωτος; qui verti, et ad peccatum declinare nequeat, et sit αναμαρτητος *impeccabilis*, cuiusmodi solus est Deus. Id quod et Apostolus adprime insinuat (ad Hebr. VII. 26.) *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus; et excelsior coelis factus.*

V. Atque ex eo etiam prono veluti alveo habes, cur Patres non hominem dumtaxat, sed neque et Angelum, vel ullam denique creaturam aliam, quantacumque exornatam gratia, tantae dignitatis esse potuisse dixerint, ut invisum hominem Deo conciliaret, iniuriamque Deo per peccatum irrogatam ex integro repararet. Sane Athanasii hanc in rem insignis illa est sententia Orat. II. quia creata quaevis natura mutabilis est, ac peccati capax. » Quum enim, *inquit*, creatarum na-
» tura rerum mutabilis sit; cumque alii tran-
» sgrediendo, alii non obediendo peccaverint;
» nec illorum constans sit actio; sed plerum-
» que accidat, ut qui modo bonus est, po-

« stea mutetur, et alius fiat ex alio : veluti » ille qui nunc iustus est, post paullo deprehendatur iniustus: propterea opus eiusmodi quopiam fuit, qui esset immutabilis. *Et » mox paucis interiectis* : Etenim quia primus hominum Adamus mutatus est, ac » per peccatum mors intravit in mundum, « ideo decebat immutabilem esse secundum » Adamum : ut si denuo serpens aggrederetur, » ipsius quidem fraus, et calliditas irrita fieret: porro ex eo quod Dominus immutabilis, et invariabilis esset, serpentis adversus » omnes, conatus et insultus irriti, et imbecilles essent ». Consentit Fulgentius, atque de homine primum haec expresse inquit *Libro II. ad Trasimund. Cap. II.* » Quis enim homo posset existere medicus » humani vulneris, cum omnes in radice vitiata communio circumplecteretur vitii naturalis? vel qualiter posset per se solum » medelam vulneratis afferre, cuius ortus teneretur in vulnere? quove modo beneficentiae largitor universalis existeret, quem » alienae opis indigum natura monstraret »? De Angelo autem, cur nec ab eo potuerit » homo liberari, mox subdit:« Angelica quippe natura tunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate

» numquam naturaliter fuisset obstricta. Cum » vero se iuvaminis egenam consubstantialis « ruinae documento testetur, profecto cognoscitur, multo minus ad humanae posse redintegrationis efficaciam redundare, quae » propriae nequeat stabilitati sufficere ». Ex quo id tandem concludit, virtutem illam tantum, quae sola naturaliter mutari, depravarique non posset, necessariam homini reparando fuisse.

VI. Arctius attamen nodum in ea adstruenda necessitate stringit Anselmus, in quo et exorbitasse nonnihil visus est plerisque. Reparari enim hominum salutem alia ratione nulla potuisse, nisi Verbum caro factum esset, ex eo arguit, quod integrum Deo non fuerit peccatum non ulcisci, quidquid enim inultum, inordinatum idem fuisset; at Deus inordinatum nihil potest dimittere, alterutrum ergo necesse fuit, aut vindicari peccatum, aut pro eo satisfieri. At satisfieri non poterat ab homine vel creatura ulla; tum quod qui satisfacit, amplius aliquid rependat oportet, quam quod ablatum est, et nemo Deo minor referre Deo possit honorem vel ampliorem, vel aequalem; tum quod qui satisfacit, eo utique satisfaciat oportet, quod alioqui non debeatur: nulla autem creatura

suum quidquam habet, quod Deo non debeat, et quod non iure Deus exigere queat ab ipsa etiamsi nulla ei incumberet satisfactio. Oportuit ergo Deum hominem fieri, ut honorem Deo reponeret ablato parem, aut maiorem, et indebitam subeundo mortem, omnium debita resolveret.

VII. At Anselmum ego Doctorem summum arbitror haud de necessitate absoluta locutum, perinde quasi Deus non potuerit absolute homines aut in sua miseria relinquere, aut eos a peccato liberare sine filii sui Incarnatione, et passione; sed de necessitate hypotetica qua decreverat homines a peccatis non liberare, nisi exhibita pro ipsis integra, atque ad rigidam iustitiae normam exacta satisfactione. Re enim vera ipse Sanctus Doctor Lib. II. eiusdem operis Cap. XXVI. docet: *improprie* dici Deum *aliquid non posse, aut ex necessitate facere*, rationemque subdit: *Omnis quippe necessitas, et impossibilitas, eius subiacet voluntati: illius autem voluntas nulli subditur necessitati, aut impossibilitati. Nihil enim est necessarium, aut impossibile, nisi quia ipse ita vult.*

VIII. Seposita igitur plena, omnibusque iustitiae numeris absoluta satisfactione, per quam solam poterat Divina iustitia placari,

quae iustas et condignas peccati poenas exigebat, et in quam Patres intuiti sunt, quum necessariam Verbi aeterni incarnationem dixerunt, potuisse Deum pro sua benignitate de suo iure decedere, et peccatum hominibus dimittere, nemo qui divinae Misericordiae inenarrabilem magnitudinem reputat, potest inficiari. Sane Athanasius Libro tertio contra Arianos, Deum solo nutu, ac iussu citra Christi adventum hominem peccato ac maledicto solvere quivisse expressis verbis docuit: *Poterat, etsi numquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, et maledictionem solvere. Sed considerandum est quid hominibus expediat.* Idem sensit Cyrillus Alexandrinus in Libro de Incarnatione: *Solo poterat imperio Verbum salutis nostrae negotium exequi; verum in partem effecti operis illius venire nos voluit.* Et Theodoretus Serm. VI. contra Graecos: *Erat illi facillimum etiam citra carnis involucrum, hominum administrare salutem . . . . Verum non ille potentiam suam, sed providentiae aequitatem voluit ostendere.* Ioannes Damascenus demum Lib. III. Cap. XVIII. *Poterat in cuius potestate sunt omnia, omnipotenti sua virtute hominem eripere ab eo qui illum tyrannice opprimebat. Verum incusationis, et querelae ty-*

*rannus occasionem inde cepisset, si cum hominem vicisset ipse, vim a Deo passus esset.* Paria cum Graecis Latini docuerunt, quorum in re certa pauca producam testimonia. Augustinus Lib. de Agone Christi Cap. XI. *Sunt autem stulti qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi suscepisset hominem.* Et Leo Magnus Serm. II. de Nativ. *Sola exequi poterat virtute Deitatis, ut creaturam ad imaginem Dei conditam iugo dirae dominationis erueret.* Gregorius Papa Lib. XX. Moral. Cap. XXVI. *Qui cum posset nobis etiam non moriendo concurrere, subvenire tamen moriendo hominibus voluit.* Ita et Guitmundus Episcopus Aversanus, Anselmo coaevus, in Confes. Fidei tom. VI. Biblioth. Patr. *Mori voluit, quum aliae multae rationes, quibus nos redimeret suppeterent.* Bernardus demum Epist. CXC. *Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios et alios modos nostrae redemptionis, iustificationis, liberationis?*

IX. Sed porro praeter hanc, quam persequuti adhuc sumus omnium maxime receptam rationem, cur in humanam recuperandam salutem ipsum se Deum interponere necesse fuerit, nimirum quod idoneus nemo reperiretur, qui cum offensionis atrocitate, satisfa-

ctionis magnitudinem ex aequo compensare posset; aliae amplius supersunt, quibus Graeci potissimum Patres in adstruenda Dominicae Incarnationis necessitate usi sunt, quae si coniungantur, fortasse in summa nonnisi unius, eiusdemque argumenti momenta sunt. Huiusmodi prima est quod omnium vitae ab interitu vindicandae, et iusto pretio redimendae idonea non erat, nisi vita ipsa primigenia Dei, qui omnium mortem, et universalem interitum uni sibi incumbentem oppeteret, occuparet, exarmaret, ut ita a morte omnes redimeret. Quod egregie expressit Cyrillus *Lib. II. in Ioan. Unum quippe oportebat pro cunctis mori, qui vitae omnium instar erat, ut tam mortuorum, quam vivorum imperium acciperet.* Id quod a magistro suo Athanasio mutuatus est *Lib. de Incarn. Verbi,* quem omnino praestat audire: » Quum enim » certum haberet Verbum Dei corruptionem » non aliter in hominibus desituram esse ni» si omnes omnino morerentur, et se mortis » capacem non esse, ut immortalem et Pa» tris filium; corpus adsumpsit, quod mori » posset, ut illud summi Verbi particeps fa» ctum, pro omnibus morti ad satisfactio» nem sufficeret .˙. . Ideoque veluti hostiam » ab omni macula liberam, ipse sibi corpus

» desumens offerensque in mortem ab omni» bus statim sui similibus rei persimilis obla» tione mortem amolitus est. Quum esset enim » prae omnibus Ratio ipsius Dei, iure suum » templum, et corporale instrumentum, ut » obsidem vicariamque animam morti sistens » ad immolationem, explevit id quod mortis » rationibus debebatur; pensitatione rei con» similis, omnesque incorruptibilis Dei in» corruptibilitate vestivit, datis resurrectionis » promissis.

X. Quod praeterea homo in durissimae servitutis miseriam delapsus, in libertatem erat revocandus. Libertatem autem donare non est neque hominis, neque Angeli; qui enim vincula perfringet aliena, quem sua urgent? plenissima ergo Deitatis libertas sollicitanda erat, ut suppetias ferret ipsa, ut infixam servitutis notam effricaret; et nos sibi adserendo, germanae nos adsereret libertati. In quam sententiam scripsit Cyrillus *Lib. V. in Ev. Ioan. Necessario itaque Christus ostendere vult eum, qui natura sua servus est, nec ad aliorum libertatem, nedum ad suam sufficit, nullo modo sibi praestare posse libertatem, quippe cum naturae suae ratione illa careat. Nam qui ab alio sibi gratiam accipit, quomodo ad aliorum libertatem sufficiet? Uni*

*vero ac naturali Deo libertatem aliis dare competit.*

XI. Huic proximum est, quod animae Spiritu Sancto erant impregnandae, et ita ab intestinis vitiis redimendae; quod amplius insita mutabilitas, et ad peccandum declivis pronitas erat inhibenda. Qui autem creata ulla poterat natura Spiritum Sanctum exprimere coelitus, eumque inserere, sanctitatemque medullis ipsis animae inspirare? Audiatur Athanasius *Orat. II. contr. Arian. Non enim alterius erat coniungere hominem cum Spiritu Sancto, quam tui ipsius, qui es imago Patris, ad quam ab initio creati eramus, quoniam tuus est Spiritus. Neque enim rerum conditarum natura digna erat, aut idonea ad id negotium, quum et angeli praevaricati essent, et inobedientes homines fuissent. Ideo opus erat ipso Deo. Verbum autem est Deus; ut eos qui sub maledictione erant, redimeret.*

XII. Quid quod et alteram urget rationem Athanasius, quod lata a Deo sententia, qua genus humanum parentali culpa implicatum morti addixerat, in irritum vanescere non poterat. Ex adverso autem hominem, operum Dei specimen eximium, irrevocabiliter disperire, ipsaque divinae in eum bonitatis consilia frustrari nefas videbatur. Ergo ae-

quum fuit, ut poenam, in hominem transgressorem latam subiret obses in vicem hominum homo Deus, et ita ab exterminio homines, et a dedecore totum Dei opificium vindicaret. Ecca expressissima Athanasii verba *Lib. de incarn.* « Non enim verax Deus « fuisset, si quum dixisset nos perituros, « non periissemus. Indecorum rursum erat, « eos qui semel creati erant rationales, pari- « ter extingui. Id enim indignum erat boni- « tate Dei, si quae ab eo creata essent, in » interitum abirent ob diaboli fraudem ad- « versus hominem. . . . . Quid aliud decuit « fieri, aut cuius opera ad recuperandam i- « stam gratiam requirebatur, nisi Dei Verbi, « qui omnia ab initio condiderat? Eius enim « fuit, id quod corruptibile erat, rursus ad « incorruptibilitatem reducere; et pro omni- « bus id quod aequum, rationique consen- « taneum erat, Patri praestare ». Quam doctrinam ad verbum quidem ex Athanasio suo exscripsit Cyrillus Alexandrinus *Catech. XIII.* quem locum memini alibi adduxisse.

## Sectio II.

### *Quam decora ac conveniens Verbi Dei Incarnatio in humani generis redemptionem.*

I. Ergo ex his, quae disputata usque modo sunt a nobis, pronum est noscere, eam convenientiorem reparationis nostrae rationem iniisse Deum, in qua se mutuo Misericordia, et Justitia, Virtus, et Sapientia oscularentur. Scilicet enim quo perfectius moliebatur opus Sapientissimus Artifex, eo illustriorem praestantioremque proposuit finem, gloriam nominis sui, qua inauditum illud saeculis omnibus Divinitatis specimen exhiberet. Consistamus igitur heic parumper, ac latissime quantum, et infinite immo in hoc mirabili opere Dei Gloria pateat, expendamus; ut, vel etiam nobis non monentibus, ex ipsa Sacramenti dignitate inenarrabili argumenta dimanent, unde nebulonum ora obstruantur, qui quod haud intelligunt, nonnisi per summam impudentiam vel a decoro, vel a ratione etiam alienum obtendunt.

II. Initium autem inde Oratio nostra ducat, unde maximum decus Misterio accedit; ab Dei omnipotentia nimirum, qua ex pulvere abiectionis nostrae Corpus gloriae suae formavit. Non enim tautopere, ut Basilii verbis utar, quae in Ephesina Synodo sunt magna acclamatione recitata, coelum, nec terra, nec marium immensitas, nec illa admirabili varietate distincta rerum universitas, excellentem vim Dei commendant: quam illud unum, potuisse Deum, qui comprehendi ab nullo potest, citra passionem aliquam, per carnem cum morte congredi, ut propria passione nobis impatibilitatem tribueret. Etenim magnum aliquid ( Gregorius Nyssenus inquit Catech. Cap. XXIV. ) et excelsum elaborare Divinam Potentiam, naturae quodammodo consentaneum est . . . at vero delapsus ille ad id quod abiectum est, et humile, abundantia quaedam est potentiae, quae nec in illis quidem, quae sunt praeter naturam, impediri potest. Re enim vera quid ea stupenda mixtione potentius, ( eloquentissima nunc usurpo Gregorii alterius verba, Nazianzeni nimirum Orat. XXXIX. ) ut ea misceantur quae misceri nequeunt, ac non solum nativitati Deus, et mens carni, et tempori quod expers est temporis, et men-

surae quod circumscribi non potest iungatur; sed etiam virginitati generatio, ignominia ei quod omni honore honorabilius est; et passioni quod pati nihil potest, et corruptibili id quod immortale est, et incorruptum.

III. Porro autem unius Dei Creatoris erat, ut quod opus ipse per omnipotentiam suam primo finxerat, ipse per eamdem redintegraret, atque formam et imaginem quam ipse primo insculpserat, mox peccato obductam ipse resculperet. Vel quo enim pacto incorruptionem, vitam, et formam divinam recuperaturus homo esset, nisi Omnipotens ipse redderet, qui et Omnipotens haec primum dedit? Illustris est Athanasii locus hanc in rem in libro de Incarnatione Verbi: *Jam non fuit ullius alterius officium, corruptibile in incorruptibile transmittere, nisi ipsius Salvatoris, qui in principio ex non entibus entia condiderat; nec alterius erat, exemplar imaginis Divinae hominibus restituere, nisi ejus, qui erat imago Patris; neque alterius, mortale immortale efficere, nisi ejus, qui ex se ipsissima vita est.*

IV. Neque hinc longe Irenaei argumentatio abludit, praepotentiori consilio auxilioque opus fuisse, ut prima Divinae in nos pietatis non labefactaretur sententia, quam irri-

tasse gestiebat diabolus; ut ipsa diaboli iactantia contunderetur, qui suam amplificasse potentiam per primi parentis defectionem gloriabatur; ut hominis salus inexpugnabili deinceps firmaretur praesidio. *Si enim* (inquit Lib. III. Cap. XXXIII.) *qui factus fuerat a Deo homo, ut viveret, hic amittens vitam, laesus a serpente, qui depravaverat eam, jam non reverteretur ad vitam, sed in totum projectus esset morti: victus esset Deus, vicissetque serpentis nequitia voluntatem Dei. Sed quoniam Deus invictus, et magnanimus est, magnanimum quidem se exhibuit ad correctionem hominis.* Id quod fusius persequutus est Leo Magnus *Serm. II. in Nat. Dom.* et Fulgentius *ad Trasim. Lib. II. cap. III.* qui suam ita demum sigillat argumentationem: *Cujus est inenarrabilis omnipotentia, qua nos gratuita bonitate fecit: nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos omnipotentissima miseratione salvavit. Qui et opus creatricis omnipotentiae gratis fecit, et opus gratiae salvatricis omnipotenter implevit.*

V. Porro at unde deduci Omnipotentia Dei vehementius potest, quam ex eo, ut non iam inexuperabili potestate sua vincat, sed sua se potestate exutus infirmitate pugnet,

et per infirmitatem praepolleat ; ut per humilitatem regnet, per mortalitatem, immortalitatem reddat, et per mortem, vitam ; ut per Crucem, Orbem subigat universum ; per stultitiam, sapientiam domet, per scandala trahat, per ludibria illiciat, per duodecim imperitissimos homines universam philosophiam conturbet, ac prosternat ? Id sane per Verbi Incarnationem Deus eo ineffabiliter Omnipotens praestitit, quo amplioris potentiae est per contraria vincere. Veniant nunc Judaei, et signa quaerant, veniant Graeci, et sapientiam petant ; Quid ? nec signa illis damus, nec sapientiam his, sed contraria quidem utrisque praebemus eorum, quae petunt. Crucem opponimus Judaeis, quae esse non videtur signum virtutis, et potentiae, sed immo probatio imbecillitatis ; Crucem et opponimus Graecis, quae esse illis videtur non sapientiae ostensio, sed immo opinio stultitiae ; et tamen illi per imbecillitatem attrahuntur, hi per stultitiam.

VI. Sed quae Dei Omnipotentiam commendant, ea adprime et ad Divinam benignitatem commendandam aptissima sunt. Non enim nisi ex infinitate virtutis, et charitatis exundantia factum, ut adeo fines suos in Sacramento reparationis nostrae Benignitas Dei

excesserit, ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueret hominem, et spem dilectionis suae daret hominibus homine medio, quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longe erat immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, iustus ab impiis, beatus a miseris? « Semper quidem (ad rem inquit Leo *Serm. IV. de Nativit.*) diversis mo-
« dis, multisque mensuris humano generi
« Bonitas Divina consuluit, et plurima Pro
« videntiae suae munera omnibus retro sae-
« culis clementer impertiit: sed in novissi-
« mis temporibus omnem abundantiam soli-
« tae benignitatis excessit, quando in Chri-
« sto ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad
« errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descen-
« dit; ut Verbum illud coaeternum, et coaequa-
« le Genitori, in unitate Deitatis suae na-
« turam nostrae humilitatis assumeret, et
« Deus de Deo, natus, idem etiam homo de
« homine nasceretur ». Scilicet nonnisi amor poterat unus extrema copulare, alta deponere, ima sustollere, remotissima adunare, ut Coelum terrae adaequans, Dominum Coeli terrenis membris insereret, ut Verbum Caro fieret, atque habitaret in nobis; ut quasi in quodam medio miseria, et misericordia ob-

viarent sibi: ut ita se infirmitati virtus uniret, ut essent in carne una Verbum, et Anima, et in his tribus, Deus Verbum una persona. Plura adhuc et adtexere vellem, sed quid amplius potiusve dicam, quando talem in Deo amorem invenimus, qualis nec de impossibilitate solatium accipit, nec de difficultate remedium?

VII. Nunc vero ut ad Dei Iustitiam sermo convertatur, tametsi multa Patres hanc in rem adposite facundeque contulerint, mihi tamen huc omnium verti summa videtur, quod diabolum iustitiae hostem, atque iniustitiae principem non potestate adgredi, et spoliare, sed iustitiae lege maluerit Deus debellare. Rem Graecis, Latinisque Patribus adprime probatissimam, pluribus confirmare abstineo, unumque in medium proferre Augustinum satis habeo, sic in Lib. III. de libero arbitrio disputantem, cap. X.; *Atque Verbum Dei, unicus Dei Filius, diabolum quem semper sub legibus suis habuit, et habebit, homine indutus, etiam homini subjugavit; nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege iustitiae.* Id quod ipsa peccati ratio, quod profligare Deus moliebatur, postulare videbatur; quum enim in eo peccasset diabolus, eiusque incitamento adacti pecca-

rent homines, ut contempta iustitia potentiam adfectarent, aequum proinde erat, ut non iam per arma potentiae, sed per ipsam, quam contempserunt iustitiam superaretur. Audiamus iterum Hipponensem Episcopum lib. XIII. de Trin. cap. XIII. cuius haec est disertissima argumentatio. *Non autem diabolus potentia Dei; sed justitia superandus fuit. Nam quid omnipotente potentius, aut cujus creaturae potestas potestati Creatoris comparari potest? Sed quum diabolus vitio perversitatis suae factus sit amator potentiae, et desertor oppugnatorque justitiae; sic enim et homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa justitia, potentiae student; placuit Deo, ut ad exuendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed justitia vinceretur: atque ita et homines imitantes Christum, justitia quaererent diabolum vincere, non potentia.* Sed qui ipse omnipotens moriens, impotentibus nobis commendavit iustitiam, idem ipse debellato per mortem crucis, desertore diabolo, resurgens a mortuis potentiam promisit.

VIII. Sane vero iuste quantum princeps ille omnium peccatorum diabolus suo sit abdicatus principatu, vel ex eo abunde quivis

intelliget, quod per illam ipsam carnem victus sit in Christo, quam vicerat in Adamo: Si enim sola in concertationem cum diabolo descendisset Deitas, illumque vicisset, iam potestate magis, quam iustitia victus esset tyrannus; ex adverso autem quum ipsa, quae superata olim fuerat, humana natura pugnasset, vicissetque, iure aequissimo excussa servitute in primigeniam se libertatem vindicavit. *Dum hosti*, inquit Gregorius Magnus Lib. III. Mor. cap. XI. *obiicit innocentiam carnis suae, extersit contagia carnis nostrae; et ex qua nos captivos inimicus tenuit, per illam nos liberos expiavit; quia quam nos instrumentum fecimus culpae, haec nobis per mediatorem versa est in arma iustitiae.* Et Ferrandus in Epist. ad Anatolium: « Plena in « illo fuit natura matris, idest nostra; « quam velut sibi aliquid deberet, antiquus « ille peccati foenerator invasit, crucifixit, « occidit; et per indebitam exactionem quidquid ei debebatur amisit, iuste victus, et « iuste punitus, quia ea caro vicit in Christo, quae victa fuerat in Adam. Haec namque fuit iustitia Dei, ut per illam carnem « mortis auctor vinceretur in Christo, quam « vicerat in Adam. Si ergo alia esset natura « carnis, in qua non peccaverat Christus,

« et mortuus est, non per iustitiam, sed « per potentiam diabolus vinceretur. Oporte- « bat autem per iustitiam vinci. Iustitia vero « ipsa fuit, ut in ea carne venerit Redem- « ptor, quam fecerat supplicio obnoxiam re- » manere tentator ». Huc accedit, quod in primo homine Adamo consenserant quodammodo omnes homines spontaneae servituti, suoque consensu, quasi vinculo iustitiae constringebantur; quamobrem ex iustitia nonnisi alter homo eiusdem consors generis, sed exsors praevaricationis, humani generis caussam redintegrare poterat, ac violentam dissolvere captivitatem. *In totius* ( inquit Leo Magnus Serm. 11. de Passione ) *humani generis strage comuni, unum solum fuit remedium sub divinae rationis occulto, quod possit subvenire prostratis, si aliquis filiorum Adam, originalis praevaricationis alienus, atque innocens nasceretur, qui ceteris exemplo prodesset, et merito.* Dicam amplius; peccati poenas subire tenebatur homo, subit exhausitque homo, in quo erant omnes homines; mortemque quam diabolo homo debebat, homo solvit, unus vice omnium, qui unus instar omnium erat. Ita Bernardus: *Homo qui debuit, homo qui solvit. Nam si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo*

*omnes mortui sunt* ; *ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur*, *sicut omnium peccata unus ille portavit.* Denique aequum id erat, ut quum in omnes irrepserit ab uno peccatum ; ita et in omnes ab uno dimanaret iustitia ; et ut per alium inducta servitus erat, ita et per alium libertas obtingeret, utrumque eiusdem naturae consortem ; ut quemadmodum a capite in membra, a parente in filios traducta erat culpa, ita et traduceretur iustitia ; et quo modo propagata servitus erat, eodem et propagaretur libertas. Iterum Bernardus : « Cur non aliunde justitia, quum aliunde reatus ? Alius « qui peccatorem constituit, alius qui justificat a peccato ; alter in semine, alter in « sanguine. An peccatum in semine peccatoris, et non justitia in Christi sanguine . . . . « Si imputatur generatio, regenerationem oppono ; nisi quod spiritualis est ista, illa « carnalis. Nec patitur ratio aequitatis, ut « ex aequo contendant, sed vincat necesse » est spiritus carnem, et sit efficacior caussa, cuius est potior et natura . . . A primo homine manavit delictum, a summo « coelo egressio gratiae ; utrumque a parente, illud a primo, ista a summo. »

IX. Haec autem, quae haud longa perse-

quuti adhuc sumus disputatione, si una tandem ac sedulo attendas, praeclarius nihil ostentant magis quam Dei sapientiam. *Tamquam bonus*, ( inquit Gregorius Nyssenus ) *misericordiam capit eius qui ceciderat: et tamquam sapiens, non ignorat revocandi modum. Sapientiae autem proprium est iusti iudicium. Nemo enim insipientiae veram iustitiam adscribat.* Fuit et praeter quae sunt superius praeoccupata hoc Sapientiae, ut imponeret diabolo latitans sub carnis involucro Divinitas, et in similitudine carnis peccati sanctitas, et innocentia delitescens; quo fuco delusus, dum in hominem irruit, in Deum impegit, et dum peccati speciem insectatur, iustum interemit. Quod argumentum Gregorius Magnus urget Moral. Lib. XXXIII. cap. VII. *Dominus noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. In hamo eius Incarnationis captus est: dum in illo appetiit escam corporis, transfixus est aculeo Divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quae ad se devoratorem duceret, ibi divinitas, quae perforaret.* Et alibi Homilia XXV. *In hamo ergo captus est, quia inde interiit, unde momordit; et quos tenebat mortales, iure perdidit, quia eum, in quo ius non*

*habuit*, *morte appetere immortalem praesumit.* Id Gregorius a Gregorio didicerat, a Nanzianzeno scilicet, qui rem pressius antehac erat persequutus Oratione XXXIX. « Quo-« niam vitii auctor ille callidus, invictum se « esse putabat, postquam spe Divinitatis ine-« scaverat nos, ideo et carne obiecta, velut « esca illectus est ipse: ut in illum, tam-« quam in Adamum, incurrens, in Deum « incideret: atque ita novus Adam veterem « recuperaret; atque hoc modo carnis dam-« natio solveretur, dum mors morte perimi-« tur ». Vide igitur sapienter quantum consilio vincitur, qui consilio hominem deceperat.

X. Fortasse autem hic dicet aliquis, derogatum potius esse nonnihil vel iustitiae, vel sapientiae, quum nihil per fraudem deceat agere sapientem, ac iustum. Sed apage! an non fraudem exitialem salutifero consilio refellere, et iustitiae et sapientiae insigne specimen est? Malo dolo circumventurus hominem diabolus, Deitatem ostendens, mortem inflixit. Sapientis consilii igitur erat, ut servaturus hominem Deus, Deitatem occultans mortalitatem ostenderet; ut quo consilio humani generis hostis hominem deceperat, eodem vinceretur. Rem ita Gregorius Nyssenus

expedit Orat. Catech. XXVI. *Ratione quidem iustitiae illa recipit deceptor, quorum semina suo libero iecerat arbitrio. Nam ipse quoque decipitur obiecta hominis specie, qui esca voluptatis hominem prius deceperat. Eorum autem quae fiunt scopus, et institutum habet mutationem ad id quod est melius. Nam ille quidem fraude usus est ad perimendam naturam; hic autem simul et iustus et bonus et sapiens excogitatam adhibuit deceptionem, ad salutem eius, qui perierat.*

Ceterum rem intimius contuentes, ipse suis se dolis irretivit diabolus, ipsa sua diabolo superbia fraudi fuit. Sane cognoverat antiquus hostis, Redemptorem humani generis, debellatorem suum, in mundum venisse; unde et per obsessum hominem in Evangelio clamavit (Matth. VIII. 29.) *quid nobis et tibi Iesu Fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos?* Tamen quum hunc humilem, et passibilem cerneret, et posse mortalia perpeti videret, nihil nisi superbum sapiens, Deum esse dubitavit. Quamobrem non tam Dei humilitas, quam propria superbia illum egit transversum.

## Sectio III.

### *Si homo non peccasset, carnem humanam haud induisset Verbum.*

I. Disputationem nunc vero momentosam adgredimur, si tamen id vel adduci in disputationem potest, quod innumeris, validissimisque Scripturarum testimoniis, quod perpetua atque unanimi Graecorum Latinorumque Patrum adstipulatione certum, exploratumque est. Non enim altercationis novitatem sectamur, vel rem in occulta Dei potestate ac voluntate latentem inquirimus, sed tantum quod Sacrarum Litterarum oracula personant, quod traditionis antiquitas testatur, quod fidei regulae produnt, id omni contentione seposita producimus. Quantum enimvero ex Scripturis Divinis de tanto Incarnationis Verbi beneficio scire ac intelligere fas est, nihil aliud adsequimur, nisi hac una de caussa missum esse Dei Filium a Patre, ut hominem peccati, ac diaboli iugo oppressum liberaret, eique gratiam conferret ac salutem. Si ea ergo quae ab una Dei voluntate proveniunt, nisi ipso revelante nota es-

se non possunt ; ipse vero adventus sui, susceptaeque carnis caussam manifesto adeo in Novi Testamenti Tabulis explicavit , ut omnem aliam removerit , ecquis Sacramentum voluntatis Dei alio deflexerit (15)? Et quum fide profiteatur in symbolo : *qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est* , modo aliam contendendo quaerat caussam?

II. Commodius autem arbitror acervatim huc in primo orationis ingressu Scripturarum testimonia cogere , Augustini ductus exemplo *Lib. I. de pec. mer. et rem. Cap. XVI.* « « quibus appareat Dominum Iesum Christum

(15) Nulla in antiquiori Theologia hac de re controversia ; nec agitata primum est , nisi ubi de potentia Dei absoluta in alio possibili rerum ordine sunt in scholis excitata dissidia. Sed quae ista prurigo ? Rem attamen nemo Angelico Doctore Thoma confecisse plenius mihi videtur, cuius haec pura puta argumentatio est , quam primo ingressu usurpavimus. Nec vero parum utilem iam nunc hanc dicas disputationem , in quam veluti in summam , omnia avitae Theologiae capita concurrunt ; non enim alio pressius de Verbi Dei Oeconomia tractatio tendit , quam huc ; nimirum humanam naturam vel ideo adsumpsisse Deum , ut ab interitu eam liberaret, collapsamque pristinae redderet integritati.

« non aliam ob caussam in carne venisse, « ac forma servi accepta factum obedientem « usque ad mortem crucis, nisi ut hac di- « spensatione misericordiosissimae gratiae, om- « nes, quibus tamquam membris in suo ca- « pite constitutis caput est, ad capessendum « Regnum coelorum vivificaret, salvos fáce- « ret, liberaret, redimeret, illuminaret ». En igitur caussa, quam unam Scripturae o- stentant, cur corporatus est Deus. Scriptum est in Evangelio Matthaei ( IX. 13. ): *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Ibidem ( I. 21. ): *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et in Evangelio Lucae ( XIX. 10. ): *Venit filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat.* Et in Evangelio Ioannis ( I. 29. ): *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Et ibid. ( III. 16. ): *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non peerat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Eodem modo Actor. X. 45. *Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Et in Epistola ad Galatas ( I. 4. ): *Gratia*

*vobis, et pax a Deo Patre, et Domino nostro Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Et ad Colossenses ( I. 13. ): *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in Regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Et ad Timotheum (I. Cap. II. 15.): *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quo Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et ibidem ( Cap. II. 5. ): *Unus Deus, unus Mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Demum ut innumera alia testimonia taceam, sic Ioannes in Epistola ( I. Cap. III. 8. ) *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.*

III. Sed iam videamus quo sensu Scripturas interpretati sunt Patres. Quid? an hi ex Christi schola egressi, quum ipsum Dominum per singulos fere Scripturarum versus ingeminantem audiant, nonnisi ad peccatores sanandos venisse, ad alienos sensus Dominica verba contorquebunt? Apage! in unam enim omnes sententiam et conspirant, et certant, et ita certant, ut nullus nec mussitandi supersit locus. Agmen ducat Augustinus, a quo paullo ante discessimus. Inquit enim

*Enchir. cap. CVIII. Quum factus est Adam, homo scilicet rectus, mediatore non opus erat. Quum vero genus humanum peccata longe separaverunt a Deo, per mediatorem, qui solus sine peccato natus est, vixit, et occisus est, reconciliari nos oportebat Deo.* Et Serm. VII. de Verb. Apost. *Christus Iesus venit in mundum. Quare venit in mundum? peccatores salvos facere. Alia causa non fuit quare veniret in mundum. Non eum de coelo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Haec est causa cur venerit, peccatores salvos facere.* Et iterum Serm. VIII. *Venit filius hominis quaerere quod perierat. Si homo non periisset, filius hominis non venisset. Ergo perierat homo, venit Deus homo, et inventus est homo.* Disertius autem Sermone sequenti: *Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere. Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla est caussa medicinae. Si venit de coelo magnus medicus, magnus per totum orbem terrae iacebat aegrotus. Ipse aegrotus, genus humanum est.*

IV. Proxime excipit Ambrosius Lib. de Incarnat. cap. VI. *Didicistis quia sacrificium*

*de nostro obtulit. Nam quae erat caussa incarnationis, nisi ut caro, quae peccaverat, redimeretur?* Cui par Pontificum clarissimorum Gregorius, et Leo Magnus concinunt, quorum ille Libro IV. in I. Reg. cap. I. *Et quidem nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram, non oporteret. Non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Si ergo pro peccatoribus venit: si peccata deessent, eum venire non oporteret.* Leo autem Serm. III. de Pentecoste: *Si homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus in suae honore naturae mansisset, Creator mundi creatura non fieret.* Apteque rem sigillat Prosper *Carm. in ingratos.*

« Nam si nunc etiam illaesus vigor ille maneret,
« In quo insons natura fuit, sua quemque voluntas
» Conciliare Deo, poenaque absolvere posset:
« Necquidquam Christus mortem moriendo piaret.
« Peccatum et mundi sanguis non tolleret agni,
» Nec genus humanum generari rursus egeret,

« Conditione nova, quoniam sapientia sana,
« Sana fides, sanum arbitrium, mens libera morbo,
« Vitam agerent dignam summorum participatu.
« Sed prostrata semel, quanto natura profundo
« Immersa, et quantae fit mole oppressa ruinae?
« Verbum homo fit.

V. Nec vero vel pauxillulum a Latinis discedunt Graeci, quin et propositam rem non firmant tantum, sed inconcussis rationibus cingunt. Primus prodit Irenaeus Lib. V. cap. XIV. *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.* Cui supponimus Origenem Hom. XXIV. in Num. « Si non fuisset peccatum, non necesse fue» rat filium Dei agnum fieri, nec opus fue« rat eum in carne positum iugulari, sed « mansisset hoc, quod in principio erat « Deus Verbum. Verum quoniam introivit » peccatum in hunc mundum, peccati au« tem necessitas propitiationem requirit, et « propitiatio non fit, nisi per hostiam, ne« cessarium fuit provideri hostiam pro pec» cato ». Quod ipsum Athanasius quam firmissime roborat Orat. III. contra Arianos:

*Necessitas indigentiaque, hominum anterior est, quam illius nativitas, qua sublata carnem non induisset; quae autem fuerit ea necessitas, quae causam attulit, ut homo efficeretur, ipse Dominus palam fecit.* Et mox coacervatis Scripturarum testimoniis concludit. *Non igitur propter seipsum, sed propter nostram salutem, et ob demolitionem mortis, et condemnationem peccati advenit . . . . Ceterum ut fieret homo, numquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas eius rei causam praebuisset.* Conspirat in eumdem sensum Nazianzenus Orat 1. *Quae autem humanitatis a Deo propter nos susceptae caussa extitit? profecto ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud caussae afferri possit.* Item Chrysostomus Hom. XXXI. in Matth. *Non veni vocare iustos, sed peccatores. Adeo procul abest, ne peccatores abominetur, ut propter ipsos solos advenerit.* Et Basilius Hom. XIX. *Homo factus est propter Adamum qui ceciderat. Propter Adam incorporeus in corpore. Propter corpus, nubem accepit corpus Verbum, ut ne combureret ea quae videmus. Condescendit in carnem, ut caro illo coëlevaretur.*

VI. Sed tamen hic se miscent Scotistae, et luculentis Scripturarum, ac Patrum testimoniis constricti, ad decretorum diversita-

tem confugiunt, rati secus advenisse Filium hominis ex vi posterioris decreti subsequentis peccati permissionem, quam venturus nihilominus fuisset ex vi prioris decreti, quo sola incarnationis substantia est definita. Hem quo futili invento opinationis novitatem praetexere se posse sperant, et ingruentem undique e Scripturis et Patribus testimoniorum grandinem declinare confidunt! Quid hoc, quod in carne mortali passurus nonnisi post peccatum et propter peccatum venerit Christus, qui in carne immortali ad stantes et innoxios venturus nihilo secius fuerit, si a primigenia sanctitate haud descivisset homo? Quid hoc decretum, quum Patres Scripturis attendentes, nonnisi praesentem tantum rerum conditionem, et providentiae ordinem respexerint? Quid hoc inquam, si Scripturae a capite ad imum Christum eloquantur, et unum hunc nisi ut Redemptorem eloquantur? Quod si tot illa expressa ac conspirantia Scripturarum verba semel contorqueamus, et captivas ad alienos sensus, opinionesque mere arbitrarias trahamus, quis iam non videt, quam lata pandatur ianua ad omnem earum auctoritatem infringendam. Nec enim ea iam religio, et doctrina invalescet, quam Sacrae Litterae ostentant; sed quam in officina animi nostri

male feriati procudere nobis libuerit. An fortasse ipsum Scripturarum silentium de hoc altero, quem comminiscuntur, adventu, probationis vicem tenet? Sed quid hoc monstri in Religionis negotio? vel quid alienius fingi potest quam toto Scripturarum volumine unam exaggerari circumstantiam, aliam penitus sileri? Sed videant quaeso, ne ab ipso silentio damnentur; nam Divinae voluntatis consilia, nisi Divina voce palam nobis fiant, scire nullatenus possumus. Sed sinamus tantisper posse Scripturas aliquando in eum detorqueri sensum, quem ipsi sibi fingunt adversarii, quid interea? nonne Sanctorum Patrum erat illas interpretari, et tanti momenti latebram propalare? At qui pote', ut tot Clarissima Graecae Latinaeque Ecclesiae Lumina, ut Beatissimi Patres nostri Irenaeus, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Leo, Bernardus, qui tanta monumentorum suorum mole doctrinam Ecclesiae ex Scripturis communiverint, adventum hunc Christi in carne immortali ad immortales homines non viderint, ipsi vero suis suspicionibus indulgentes viderint? Sed videant quaeso, ne dum veluti in re ambigua, aut ultro citroque versatili, sibi

largius indulgent, ea convellant fundamenta, quibus summa fidei nostrae a Sanctis Patribus superstructa est. Videant ne quum vel tantillum transilire lineas auctoritate et consensione Patrum nobis olim ac perpetuo praefinitas conentur, ea quassentur quoque quae sunt inconcussa. Si enim res fidei nostrae intimius spectentur, ita profecto omnia inter se contexta esse, et ita constricta, ac ut ita dicam concatenata videntur, ut non possint nisi vel simul constare, vel simul labascere. Sed quid inquam tantum quod Patres non viderint, quum et ipsi Patres huic novo commento resistant. Age paucis expediamus. Aiunt isti novi vaticinatores. Verbum Dei citra ullam hominum necessitatem, et Adamo non peccante venturum nihilominus fuisse, et quidem in carne impassibili, et immortali. Cedo parumper; at dicant mihi quaeso, re ita posita, Verbum Dei facturusne fuisset caro? facturusne fuisset homo? facturusne fuisset creatura? Utique id expresse adfirmant. Adfirmant? Caussa ceciderunt, nec ullam habent tergiversationem. Patres enim apertissime, et ad unum omnes, id expresse, ac perpetuo protestantur, quod nisi Adam peccasset, Dei Verbum factum non esset caro; non homo, non creatura, non tempori subiectum, sed

mansisset hoc quod in principio erat, Deus Verbum.

VII. Neque vero id obtendat aliquis, quod si Christus praedestinatus fuisset ut Redemptor ante permissionem peccati, immo tamquam finis eius permissionis, sequeretur decretum praedestinationis Christi inferre debere existentiam peccati, atque adeo peccatum fuisset propter Christum, quod Christianae aures abhorrent. Nam ecquis catholicorum audet diffiteri, peccatum fuisse propter gloriam Dei permissum? Certe enim nisi Deus suam gloriam intendisset, neque mundum, neque homines creasset, neque peccatum permisisset. Eam autem permissionem sicuti ultimo in gloriam suam ita immediate in gloriam Christi ordinavit. Ceterum Dei et Christi gloria, et praedestinatio nullo pacto finis fuit peccati, neque in peccatum ulla ratione influxit, neque extrinsece quidem, sed finis fuit permissionis peccati, quae omnino bona est utpote quae Dei est, et a Deo decreta. Peccatum vero, qua parte malum est, totum ab humana voluntate invectum est, totumque a Divina misericordia, et Redemptoris benignitate reparatum.

VIII. Sed quid hoc, quod morbus ordinatur ad medicinam, quod peccatum ordinatur ad

redemptionem? Equidem si morbus eo dumtaxat fine permittatur, ut per medicinam aegrotus pristinam recuperet salutem, ultro darem manus, nihilque in eo esse prudentiae faterer. Quis at non videt secus rem se habere, si permittatur morbus, ut per medicinam in longe firmiorem, ac saniorem, diuturnioremque valetudinem restituatur aegrotus, vel aliud quidpiam praestantius exquisitiusque bonum enascatur? Ita prudenti consilio artifex statuam conflare, conflatamque potest confringere, aut potius ut confringatur permittere, eo fine, ut magnificentius renovetur, praesertim si uberiorem sibi ex refecta, quam ex confecta gloriam expectet. Enimvero non secus in hoc providentiae ordine rem processisse quisquis intelliget; nam et ampliora hominibus conlata sunt dona per Christum, quam si peccata nulla fuissent, et gloriosius fuit Deo hominem peccatorem redimere, quam innocentem condere. Utrumque apertis Scripturarum testimoniis docemur. Nam de feliciori hominum sorte testatur Apostolus ( ad Rom. V. 20. ) expresse adfirmans, superabundasse in delicto gratiam, et Ecclesia in Paschali praeconio felicem adpellans culpam, quae talem, ac tantum meruit habere Redemptorem. Ex quo San-

ctus Leo, ampliora nos per Christi gratiam assequutos praedicat, quam per diaboli amiseramus invidiam. Quod sane Christus ipse testatus fuerat ( Ioan. X. 10. ) *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

SCHOLION ) Collimant in hominum redemptionem et alii incarnationis fines, quos Augustinus ad magisterium, et adiutorium revocat. *Venit* ( inquit Ep. III. ) *hominibus magisterium, et adiutorium ad capessendam sempiternam salutem.* Per magisterium autem, et adiutorium duo curata sunt nobis per peccatum inflicta vulnera, coecitas mentis, et concupiscentia cordis. Propterea dedit Deus Christum gentibus *praeceptorem et ducem* Isaiae ( XL. ) *lucem veram, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ( Ioan. I. 9. ) *et lumen ad revelationem gentium* ( Luc. II. 32. ). *Neque solum ut illuminando, sed etiam cooperando, ac dilectionem inspirando* ( inquit Augustinus Lib. II. de Gr. Christi cap. I. ) *adiuvat ad hoc, ut quid faciendum homo cognoverit, faciat, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.*

SCHOLION ) Quoniam Verbum Caro factum est, ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum ( Matth. I. 21. ), et san-

guis eius emundaret nos ab omni peccato ( I. Ioan. I. v. 7. ), est enim propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi ( ibid. II. 2. ); dubitari nequit, fuisse eumdem praedestinatum redemptorem non solum peccati originalis, sed etiam actualis. Potissimum autem ad delendam primaevam labem missum fuisse, vel ex eo licet intelligere, quod virus originale naturam ipsam afflaverat, quam Christus instauraturus advenit; unde et latius manaverat, et altius insederat, et perniciosius afflixerat genus humanum, ex quo coecitas, et cupiditas ad actualia peccata pronae inoleverant. Quid quod ab Apostolo saepe Christus Adamo opponitur, quo ostendatur, illius potissimum damna reparaturum advenisse. Hinc ( I. ad Cor. XV. 21. ) « quoniam quidem per hominem mors, et per « hominem resurrectio mortuorum; et sicut « in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur «. Et mox (Ibid. v. 45. ): » factus est primus homo Adam « in animam viventem, novissimus Adam in « spiritum vivificantem «. Et rursus: » primus « homo de terra, terrenus: secundus homo « de coelo coelestis; qualis terrenus, tales « terreni, et qualis coelestis, tales et coele-

« stes; igitur sicut portavimus imaginem ter- « reni, portemus et imaginem coelestis ». Unde sicut Adam est caput hominum per naturam, ita et Christus per gratiam: et sicut ex Adam per naturam procreamur, ita et in Christo per gratiam renascimur, et per regenerationem deletur hominibus, quod generatione contraxerunt.

## SECTIO IV.

### *Redintegrator generis humani Christus cur tam sero ad homines liberandos venerit. Patrum sententiae adferuntur.*

I. Altissima Dei consilia, cur peccati morbum inter ipsa sui exordia non suffocarit, sed serpere, atque grassari per longa annorum sacculorumque intervalla passus sit, et tum demum ubi desperata prope omnia, ac conclamata videbantur advenerit, ecquis hominum in tam spissa profundae noctis caligine scrutari audebit? Sane confiteamur id potius: Novit Dominus quid quando faciat, qui in mensura, et numero, et pondere cuncta di-

sponit. Veruntamen non Dei Sacramentum atque imperscrutabilis eius Sapientiae arcana, sed quae misericors ipse et sapiens per Scripturas dignatus est nobis revelare, Patribus nostris facem praeferentibus, tentamus.

II. Atque vero illud in primis animum subit ponderosissimum momentum, quod crebro urget Augustinus, ut homines propriam agnoscentes infirmitatem, ardentius medicum desiderarent, et quaererent. Enimvero ille primus curationis erat gradus, ut insolescens hominis superbia elideretur, qui sibimet sanus videbatur; ut sua aegroto aegritudo pateret; ut medicum ac liberatorem vel cunctantem invocaret, vel invocatum diuque expectatum reciperet demum. Oportebat itaque ut morbo suo, experimento quidem suo admoneretur, atque convinceretur aegrotus; oportebat ut ipsa sua exasperaretur aegritudo, ut vel sic sanari posset. Quamobrem haud cunctantem dicas medicum, sed verius curationi vias parantem.

III. Reconditam hanc arcanamque Theologiam nonnisi ex Scripturarum fontibus hausit Sanctissimus Doctor, nobisque propinavit. Audi verba Apostoli ( inquit in *Commen-« tar. in Ps. LXXXIII.* ): « Si enim da-« ta esset lex, quae posset vivificare, vere

« ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scrip« tura omnia sub peccato, ut promissio ex « fide Iesu Christi daretur credentibus. Ve« niret gratia post legem: inveniret hominem « non solum iacentem, sed iam etiam con« fitentem, et dicentem: Miser ego homo, « quis me liberabit de corpore mortis huius? « Ut opportune veniret medicus ad conval« lem plorationis, et diceret: Certe cogno« visti, quia cecidisti; audi me, ut surgas, « qui me contempsisti, ut caderes. Data est « ergo lex, ut aegrum de morbo convinceret, « qui sibi sanus videbatur; ut peccata de« monstrarentur, non ut auferrentur. Demon« strato peccato per datam legem, auctum « est peccatum, quia peccatum est et con« tra legem. Occasione inquit accepta, pec« catum per mandatum operatum est in me « omnem concupiscentiam. Quid est occasio« ne accepta per mandatum? Acceptum man« datum quasi viribus suis conati sunt facere « homines; victi concupiscentia, mandati « etiam ipsius transgressione rei facti sunt. « Sed quid ait Apostolus? Ubi autem abun« davit peccatum, superabundavit gratia: id « est, auctus est morbus, commendata est « medicina «.

IV. Scilicet ita comparata est hominis na-

tura, atque indoles, ut nisi longa malorum experientia bonum non sentiat, ut nisi miseriae et servitutis longo cruciatu adducatur, felicitatis, et libertatis largitorem non suscipiat. Quapropter sensim erat, ac per gradus quosdam hominis promovenda curatio, ne in exitialiora fortasse superbiae coniiceretur discrimina. In quem sensum video et Angelicum Doctorem convenire (P. III. quaest. 1.): *eo modo erat homo liberandus ut humiliatus recognosceret, se liberatore indigere. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali, ut sic vires naturae suae cognosceret: ubi quum deficeret, legem acceperit: qua data invaluit morbus, non legis, sed naturae vitio, ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, et gratiae quaereret auxilium.* Atque hanc ego rationem eo credibiliorem habeo, quo intensiora iustorum personabant vota, quibus Messiae adventus sollicitabatur. Quo enim magis ingravescebat morbus, eo magis clamabant (Exod. IV.) *Domine mitte quem missurus es.* Et Isaiae (XVI. 1.) *Emitte agnum Domine dominatorem terrae.* Et (XLV. 8.) *Rorate coeli desuper, et nubes pluant Iustum.* Et Psal. LXXXIV. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis.* Quo

et respexit Christus ( Matth. XIII. 17. ) : *Multi Prophetae, et iusti cupierunt videre, quae videtis, et non viderunt.*

V. Praeterea autem promissum liberatorem ideo Divina etiam dispensatione in mundum in plenitudine temporis, haud vero citius advenisse, cuique pronum est intelligere, ut eius adventus, characteres, miracula, doctrina, passio, et resurrectio multo ante a Prophetis praenuntiarentur; et evidentissimae hinc hominibus suppeterent notae, ut in Messiam crederent; essentque prorsus inexcusabiles qui pro coecitatis suae improbitate in eum credere nollent. Scriptum est enim ( *Actor. X.* 43. ) *Huic* ( Christo ) *omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.* Hinc Sanctus Leo *Serm. XXIV.* « Quod praedicaverunt Apostoli, hoc « praenunciaverunt Prophetae; nec sero est « impletum, quod semper est creditum. Sa- « pientia vero, et benignitas Dei hac salu- « tiferi operis mora capaciores nos suae vo- « cationis effecit, ut quod multis signis, « multis vocibus, multisque mysteriis per « tot fuerat saecula praenunciatum, in his « diebus Evangelii non esset ambiguum: Et « nativitas Salvatoris, quae omnia miracu-

» la, omnemque humanae intelligentiae erat « excessura mensuram, tanto constantiorem « in nobis gigneret fidem, quanto praedica- « tio eius, et antiquior praecessisset, et « crebrior ». Quo et respexit Augustinus ( In Ioan. Tract. XIII. ) : *Quanto maior iudex veniebat, tanto praeconum series longior praecedere debebat.* Et inferius *Tract. XXXI.* . « Quum autem venit plenitudo tempo- « ris, misit Deus Filium suum. Quare non « ante venit Christus ? Quia nondum ve- « nerat plenitudo temporis, moderante il- « lo, per quem facta sunt tempora : scie- « bat enim quando venire deberet. Primo « per multam seriem temporum, et anno- « rum praedicendus fuit. Non enim aliquid « parvum venturum fuit. Diu fuerat prae- « dicendus ». Satis momentosam quis non videt huiusmodi esse rationem, potissimum quum post innumera impleta ac consummata prophetarum praeconia, adhuc Iudaeos in incredulitate persistentes videat (16) ?

---

(16) Qua qua versus inexscusabiles habes Iudaeos; at inexscusabiliores ex eo amplius, quod per Divinae dispensationis benignitatem non quae Messiam tantum spectabant, praenuntiata sunt a prophetis, sed etiam singulares bellorum eventus non Iudaici populi dumtaxat, sed et vicinarum gen-

VI. Sed adhuc continere me nequeo quin egregium alterum Augustini locum *Tract. XV. in Ioan.* dictis adsuam, quo magis magisque id elucescat, non otiosa fluxisse illa ante Christi adventum saecula. Quid? seminabatur enim tunc Christus a Prophetis, ipso suimet locupletissimum perhibente testimonium Domino nostro Iesu Christo, ita ad Apostolos inquiente ( Io. IV. 38. ) *Ego misi vos metere quod vos non laborastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.* In quae Domini verba sic Sanctus Episcopus: *Quo ergo erant messores mittendi? Ubi iam Prophetae praedicaverant, ipsi enim seminatores. Nam si ipsi non seminatores, unde ad illam mulierem pervenerat: Scio quia Messias venit? Iam ista mulier fructus maturus erat, et erant albae messes, et falces quaerebant. Misi vos quoque metere, quod vos non seminastis. Alii seminaverunt, et vos in labores eorum introistis. Qui laboraverunt? Ipse Abraham, Isaac, et Iacob. Legite labores eorum. In omnibus laboribus eorum Prophetia*

tium; scilicet, ut quotidiana rerum antea praedictarum experientia, haberent unde convincerentur, implendas quoque certissime, et suo quidem tempore, graviores de venturo Liberatore prophetias.

*Christi, et ideo seminatores. Moyses et ceteri Patriarchae, et omnes Prophetae, quanta pertulerunt in illo frigore quando seminabant? Ergo iam in Iudaea messis parata erat. Merito ibi tamquam matura seges fuit, quando tot hominum millia pretia rerum suarum afferebant, et ad pedes Apostolorum ponentes, expeditis humeris a sarcinis saecularibus Christum Dominum sequebantur.*

VII. Atque huic consona ferme est postrema, de qua aliquid etiam adtingendum superest, retardati adventus Messiae caussa; voluisse nempe Deum, ut quae in mundo contingebant, umbra essent futurorum, et quaedam, ut ita dicam, vivens prophetia eorum, quae erant in Christo implenda; ut quos ad Deum Messias esset adducturus, ii in praeteritorum historia historiam sui temporis puram putam haberent, atque efficacius ita ad illum recipiendum moverentur. Hinc Apostolus ( *Ep. I. ad Cor. X.* 6. ) *Haec autem in figura facta sunt nostri.* Et mox: *haec autem omnia in figura contingebant illis.* Tum ( *Ep. ad Colos. II.* 17. ) *Quae sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.* Et ( *Ep. ad Hebr. VIII.* 5. ) *Qui exemplari, et umbrae deserviunt coelestium. . . nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et me-*

*lioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est*; Et ibidem ( *X.* I. ) *Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum . . . numquam potest accedentes perfectos facere.* Sed quid pluribus opus, ubi ipsam veritatem de se loquentem habemus (Ioannis V. v. 46.) *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi, de me enim ille scripsit.* Atque vero possem hanc in rem longum agmen Graecorum Latinorumque Patrum advocare, quorum una eademque stabilis ac perpetua semper fuit sententia, quidquid in veteri testamento scriptum vel gestum est, id omne de Christo esse, idest ad Christum omnino pertinere. Sed quandoquidem ab ipso disputationis exordio cum uno Augustino versatus sum, iubere mihi non possum, ut saltem quae is habet in *Tractatu XIII. In Joannem*, huc conferam: *Tollatur velum, et apparet quod erat secretum. Omnia quae dicta sunt antiquo populo Israel in multiplici scriptura sanctae legis quae agerent, sive in sacrificiis, sive in sacerdotiis, sive in diebus festis, et omnino in quibuslibet rebus quibus Deum colebant: quaecumque illis dicta, et praecepta sunt, umbrae fuerunt futurorum. Quorum futurorum? Quae implentur in Christo.* Possem

amplius adhuc typos omnes, et umbras, et figuras (17), quibus veteris Testamenti integumento salutis nostrae auctor Christus velabatur. Sed universae huc transferri deberent Scripturae; et cui bono demum? *Si nec pagani* (quo modo idem inquit Augustinus Libro XII. Cap. XXXIX. Contr. Faustum) *nobis in hoc obstrepunt: neque enim audent contradicere, ne illa non solum dicta, sed etiam facta figurate accepta interpretemur ad Christum intelligendum, praesertim quia ea quae praenunciata intelligimus, etiam demonstramus impleta.*

---

(17) Conferas quae supra sunt a nobis praeoccupata *Lect. Theol. Lib. IV. Cap. III. de Hom. Lapso pag.* 219.

## CAPUT III.

*De humana natura a Verbo adsumpta.*

I. Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut adsumpta carnis nostrae imbecillitate, infinitam tolleret peccati vim, nostrumque genus restitueret, ex altissimo dignitatis gradu deiectum. Quod sane par erat, ut miro atque ineffabili modo exsequeretur, ut nimirum in Virginis utero carnem susciperet, et supra omnem naturae ordinem non ex virili semine, sed Spiritus Sancti virtute conciperetur, ita ut Verbum Deus permaneret, quod ex aeternitate erat, et homo fieret, quod ante non erat. Et Virgo praeterea mater fieret sine ullo maternae Virginitatis detrimento, ut adimpleretur quod Isaias praedixerat ( VII. 4. ) *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium.*

II. Quod sane decebat et dignitati Patris, et humanitati filii, et hominum renovationi. Ut nimirum aeterni Patris dignitas conservaretur, nec transferretur ad alium, et Christus proinde, qui verus, et naturalis Dei

filius est, non alium Patrem haberet, quam Deum. Et ut humanitatem Christi, per quam mundi peccatum erat tollendum, nulla peccati labes inficeret; si enim in natura ex semine corrupta Christi caro fuisset formata, iam sine labis infectione nasci non poterat. Et ut demum homines in Christo filio Dei renascerentur, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo.

III. Dici autem vix potest, quanta haeresum monstra ex inferi latebris prodierint, ut solidissimum hoc nostrae religionis fundamentum convellerent. Huc convenerunt Manichaei et Marcionitae, in Christo haud veram carnem, sed carnis simulacrum comminiscentes, abunde hinc a Tertulliano, et Augustino exagitati. Huc convenerunt Apollinaristae, carnem a filio Dei non in tempore adsumptam, sed ab aeterno formatam contendentes, per Athanasium hinc, Gregorium Nazianzenum, et Ambrosium debellati. Huc convenerunt Valentiniani, qui Christum e coelo detulisse carnem, et per Virginis uterum, velut aquam per fistulam transisse effutiebant, nihilque de ea sumpsisse, quibus par fortissimorum Patrum restitit Irenaeus et Tertullianus. Huc Apelles, qui filium Dei sideream sibi carnem, et aeream contexuisse commen-

*

tus est. Huc iterum Apollinaris, Deum Christum humanam carnem sine anima suscepisse obganniens. Et quid cetera vere infirmorum deliramenta commemorem ?

## Sectio I.

## *Veritas carnis Christi adversus Manichaeos, Phantasiastas, et Apollinaristas vindicatur.*

I. Scripturarum auctoritati Catholicum dogma innititur, Verbum carnem factum esse, et habitasse in nobis. Sane Ioannes ( Ep. I. IV. *vers.* 3. ) discipulos moniturus, ne omni spiritui crederent, quippe multi pseudoprophetae exierunt in mundum, inquit: *In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis Spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Christum* ( graece ο μη ομολογει τον Ιησουν χριστον εν σαρκι εληλυθοτα, qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse) *ex Deo non est, et hic est antichristus.*

II. Porro conterritis discipulis, et spiritum se videre existimantibus, occurrit Christus ipse, a mortuis redivivus, inquiens (Luc. XXIV.) *Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse*

*sum*: *palpate*, *et videte*, *quia spiritus carnem*, *et ossa non habet*, *sicut me videtis habere. Adhuc autem illis non credentibus*, *et mirantibus*, *prae gaudio dixit*: *habetis hic aliquid*, *quod manducetur*? Et coram eis manducavit, ut per virtutem comestionis, veritas patesceret carnis, ut Gregorius Pontifex inquit. Amplius divina dispensatione factum, ut Thomas unus ex duodecim tunc deesset, et audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet. Dixit enim (Joan. XX.) *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum*, *et mittam digitum meum in locum clavorum*, *et mittam manum meam in latus eius*, *non credam*. Sed post dies octo clausis ianuis veniens Iesus Thomae dicit: *Infer digitum tuum hic*, *et vide manus meas*, *et affer manum tuam*, *et mitte in latus meum*, *et noli esse incredulus sed fidelis. Respondit Thomas*, *et dixit ei*, *Dominus meus*, *et Deus meus*. Egit namque miro modo (verbis utor eiusdem Gregorii) superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, no-

stra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.

III. Adhuc autem qua fronte Corpus Christi veluti phantasma obtrudunt Iudaei? Sane inquit Augustinus ( Lib. de divers. Qu. LXXXIII. ) *Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus; et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus; ergo non fuit phantasma corpus eius.* In quem sensum convenerat Tertullianus *Lib. III. contr. Marcion. cap. VIII.* cuius huc recidunt verba. Nisi vera sit Christi caro, vita eius nihil aliud fuisset, quam mendacii prolixa contextio, quum carnem omnibus dictis, gestisque praetulerit. Inanis fuerit, et ludificatoria redemptio nostra, si vera caro non sit, per quam, et in qua Christus salutem nostram operatus est. Sine vera carne, nec vere passus est, nec vere resurrexit; atque ita spes nostra omnis intercipitur, et evertitur totum opus Dei; ac Christiani nominis fructus corrumpitur. Nisi veram carnem adsumpsisset Christus, nec homo esset, nec hominis filius, quod sibi toties vindicavit nomen. Nisi demum vera sit Christi caro, nec ea, nec per eam ipsa Deitate pascimur in Eucharistia, neque corpora nostra sunt Christi membra.

Adhuc tamen proprio ore loquentem illum audiamus : « Iam nunc cum mendacium de-« prehenditur Christus caro, sequitur ut et « omnia, quae per carnem Christi gesta sunt, « mendacio gesta sint, congressus, contac-« tus, convictus, ipsae quoque virtutes. Si « enim tangendo aliquem liberavit a vitio, « vel tactus ab aliquo, quod corporaliter ac-« tum est, non potest vere actum credi, « sine corporis ipsius veritate. Nihil solidum « ab inani, nihil plenum a vacuo perfici li-« cuit. Putativus habitus, putativus actus, « imaginariae operae . . . Sic nec passiones « Christi eius fidem merebuntur. Nihil « enim passus est, qui non vere est pas-« sus. Vere autem pati phantasma non po-« tuit. Eversum est igitur totum Dei opus. « Totum Christiani nominis, et pondus, et « fructus mors Christi negatur, quam tam « impresse Apostolus demandat, utique ve-« ram, summum eam fundamentum Evange-« lii constituens, et salutis nostrae, et prae-« dicationis suae. Porro si caro eius negatur, « quomodo mors eius asseveratur quae pro-« pria carnis est. Negata vero morte dum « caro negatur, nec de resurrectione consta-« bit . . . proinde resurrectione Christi infir-« mata, etiam nostra subversa est.

IV. Quid quod si veram carnem Deus Verbum non adsumpsisset, nec eius induisset simulacrum. Si turpe enim est carnem fieri, turpe est et in carne videri ; et si caro eum dedecebat, dedecebat et carnis opinio. Adposite Tertullianus (*Lib. de carn. Chr.*) *si nasci se Deus noluisset, quacumque de caussa nec hominem se videri praestitisset. Nam quis hominem videns, eum negaret natum? Itaque quod noluisset esse, nec videri omnino voluisset. Omnis rei displicentis etiam opinio reprobatur.* Apage igitur, et tam vera credatur caro quae operata est salutem, quam vera est salus nobis parta per carnem.

V. Praeterea nisi vera sit Christi caro, nec nos in Sacramento corporis, et sanguinis eius, solido aeternitatis cibo pascimur, sed umbra tantum. *An credam ei*, (inquit Tertullianus ibidem) *de interiori substantia qui sit de exteriore frustratus? Quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto.* Quod et urget Irenaeus *Lib. V. Cap. II.* « Neque vere redemit nos sanguine suo, « si non vere factus homo est. Sic autem « secundum haec videlicet, nec Dominus san-« guine suo redemit nos, neque calix eucha-« ristiae communicatio sanguinis eius est, « neque panis quem frangimus, communica-

« tio corporis eius est. Sanguis enim non est « nisi a venis, et carnibus, et a reliqua quae « est secundum hominem substantia.

VI. Iam vero veram carnem adsumpsisse Christum, non e coelo adlatam, non ex sideribus, aut aethere decerptam innumera evincunt Scripturarum testimonia. Et quidem Christi genealogiam ex Abraham deducit Matthaeus, Lucas vero ab Adam ad Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus. Quo facit Isaias ( VII. 14. et Luc. I. 31. ). *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*; et mox: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quin et expressimum est Apostoli testimonium ( ad Rom. I. 2. ) *Quod ante promiserat* ( Deus ) *per prophetas suos in Scripturis Sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Dici enim Christus nullatenus posset ex semine David secundum carnem, nisi ex Maria, quae erat de domo, et familia David, originem traxisset. Et alibi ( ad Galat. IV. 4. ) *Misit Deus filium suum factum ex muliere*, nimirum per veram generationem, quemadmodum Mariae nunciaverat Angelus ( Luc. I. 31. ) *Ecce concipies in utero, et paries filium.* Unde persaepe Christus ipse se filium hominis nuncupavit. Quorsum autem filius ho-

minis diceretur, si originem non haberet ex homine, inquit Beda? In quem sensum conspiravit Irenaeus Libro III. adversus Haereses Cap. XXXI. *Si non accepit Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis.* Et Tertullianus Libro de Carne Christi XV. *Si humana non fuit, nec ex homine caro eius, non video ex qua substantia ipse se Christus hominem, et filium hominis pronunciavit.*

VII. Porro quorsum totus ille Verbi in Mariam, et in orbem adventus, si sua illi caro concreta erat ante saecula, quemadmodum per summum nefas foeculenti effutiunt Apollinaristae? Si nihil ex Maria sumpsit, nihil ex nostris adsumpsit, proinde quid incarnatio, quid nativitas eius, nisi praestigiae quaedam? Ita quidem in stultos illos irruebat Athanasius *Epist. ad Epictet.* « Si enim consubstantiale Verbum est corpo« ri, superfluum est, ut Mariae vel mentio, « vel usus habeatur: quum corpus illud ante « Mariam ab aeterno constiterit, quemadmo« dum et Verbum, si modo illud est coae« ternum corpori secundum vestram discipli« nam Quorsum igitur necessarius fuit Verbi « adventus? an ideo scilicet, ut sibi con« substantiale corpus indueret, vel mutatus,

« alienatusque a sua ipsius natura, in cor-
« pus degeneraret? Non enim seipsum Deus
« adsumit, ut sibi quod consubstantiale est
« induat ».

VIII. Saltem vero puduisset in sui patrocinium erroris Christi verba detorquere (Io: III. 13.). *Nemo adscendit in Coelum, nisi qui descendit de Coelo. filius hominis qui est in Coelo.* Et (VI. 41.) *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi*; Et effatum Apostoli (I. ad Corinth. XV. 47.) *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis.* Quasi Verbum Deus carnis substantiam non novam creando, sed insitam expromendo, aut ex sui veluti condensatione effundendo, exhibuisset, a Deitate sua indiscretam, eique aeternaliter concretam. Quo quid stolidius, quid impassibilitati Divinae contumeliosius umquam potest effingi? nimirum impium hominem in ea fuisse impietate, ut passam crederet Deitatem Verbi, Nazianzenus aperte adserit Oratione IV. *Sed quod omnium indignissimum, atque atrocissimum, ipsum Unigenitum Deum, omnium iudicem, vitae auctorem, mortis extinctorem, mortalem esse docet; ac probare nititur, propriaque sua divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte, divinitatem quoque simul cum corpore mortuam*

*esse*; *sicque rursus Patris opera a morte ad vitam revocatam*. Profecto id erroris monstrum nec refutavit Nazianzenus, neque ego Sancti Patris exemplo ductus refutabo. Id enim retulisse, perinde est ac abunde refutasse. Ut autem ad Scripturarum testimonia, quae nobis perversus homo obiectabat, revertar, sane illis non aliud edocemur, quam Christum e Coelo descendisse ratione personae, et naturae divinae, non ratione corporis adsumpti. Quod quidem et *Coeleste* dici potest, et *Panis de Coelo* ratione virtutis, qua formatum in utero Virginis fuit ( siquidem Spiritu Sancto obumbrante, ac operante compactum ) non vero ratione substantiae; quemadmodum praeclare explicat Hilarius *Lib. X. de Trinitate*.

## Sectio II.

## *Veritas passionum corporis Christi.*

I. Sed vero cum corpore molestias etiam corporis Christum Dominum adsumpisse. Scripturae omnes luculentissime testantur. Quod quidem Prophetae iamdiu praenunciaverunt. Scriptum enim est ( Isaiae LIII. ): *Vere*

*languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et in Psalmo XXI. *Foderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Hinc saepius in Evangelio eum esuriisse legimus, et sitiisse, nec non fatigatum ex itinere sedisse, positum denique in agonia, factumque illius sudorem sicut guttas sanguinis decurrentis in terram, et apparuisse illi Angelum de coelo, qui confortatus est eum.

II. Nec praeteream heic Apostoli testimonium ( ad Hebr. II. ) *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria, et honore coronatum, debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret.. in eo, in quo passus est ipse, et tentatus, potens est et eis, qui tentantur, auxiliari.* Et ibid. *IV. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.*

III. Id quod non una de caussa factum Sancti Patres opportune animadvertunt. Primo quidem, quum Filius Dei carnem adsumpserit, ut aeterno suo Patri pro peccatis nostris satisfaceret, decuit, ut carnem iis obnoxiam miseriis adsumeret, quae nobis a Deo, ut peccati poenae sunt inflictae. II. decuit ut Dei Filius huiusmodi infirmitates adsumeret,

quo fides Incarnationis adstrueretur; si enim ille nec languores nostros vere tulisset, nec dolores nostros vere portasset, visus fortasse non esset verus homo. Quo alludit Apostolus (ad Philip. II. 6.) *Qui quum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*

III. Par erat ut in carne sua Ecclesiae suae Christus Sacramentum esset; ideoque mortalitatem, et corruptibilitatem nostram tam veram gestaret, quam veram nobis suae incorruptibilitatis spem additurus erat. Nisi enim nobiscum corruptibilis esse potuerit, nec nos cum illo incorruptibiles esse potuerimus. Unde Fulgentius (Epist. ad Regin. cap. IV.) *Humiliavit se Christus usque ad susceptionem totius infirmitatis nostrae, ut, sicut ait Apostolus, reformetur corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori charitatis suae.* Demum decuit Christum humanae carnis adflictiones adsumpsisse, ut illius ad exemplum comparati, vitae nostrae poenas, et calamitates alacri animo toleraremus. Quam rationem Apostolus urget (ad Hebr. XII. 2.) *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione comtempta . . Re-*

*Cogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Et expressius adhuc Petrus ( Ep.I. Cap. II. 21. ) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.*

IV. Tametsi vero inter omnes Patres constet, Christum humanae carnis infirmitates adsumpisse, quia ipse voluit, et quos impedire poterat dolores, maluisse sustinere; Arianis tamen Christi Divinitatem ex carnis passione maxime impugnantibus, exorbitasse aliquantulum nonnemo videtur, et, si non aliud, duriuscule esse loquutus. Quos ego neque reos heic compellam, neque ulla excusatione purgabo, quippe, in quo potius loquendi modo isti exorbitarint, non video. Enimvero ut ceteros mittam, quorum explicare sensum facillimum esset, unus qui maxime omnium inculpatur, est Sanctus Hilarius, cujus haec sunt verba Libro decimo de Trinitate: *Cruciatus quidem corporis Domini impetum passionis adtulerunt, non tamen dolorem passionis intulerunt, et vim poenae sine sensu poenae in se desaevientis in corpus illius exceperunt.* Quae verba licet prima fronte nonnihil praeseferant duritatis, clara tamen, et

perspicua sunt ex illis, quae mox subdit: *Passus igitur unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates; sed passus virtute naturae suae, ut et virtute naturae suae natus est.* Ubi passum dicit, et tam vere passum, quam vere natum. Et ibidem: *Habet ad patiendum quidem corpus, et passus est, sed naturam non habet ad dolendum.* Quibus edocemur, Hilarium duplex doloris, et poenae genus ex communi illius aetatis doctrina distinxisse alterum quod ita sensus, mentemque commovet, ut invita patiatur; alterum quod ita corpus, atque animum afficit, ut lubens dolores, et poenas in se recipiat. Illud est *dolere*; dolentis est enim aegre pati: Hoc *pati*, quod rationis sequitur imperium. Hinc quisquis Hilarium audiat dicentem: habet ad patiendum quidem corpus, et passus est, sed naturam non habet ad dolendum, illico Hilarii mentem adsequetur, docentis, Christum passum esse, quia corpus passibile habuit, non vero doluisse, quia naturam habuit indolentem. Quo quid enucleatius, quidvé expressius? Sane Christus sciebat quidquid erat passurus, et quod sciebat volens excepit, proinde non doluit. Nos miseri vero quae patimur, inscii patimur et nolentes, ac fugientes patimur, proinde dolemus.

## Sectio III.

### *Veritas animae, et mentis humanae in Christo. Adversus Apollinaristas.*

I. Si quis tenuerit Catholicam fidem, ut totum hominem credat esse susceptum a Verbo Dei, id est, corpus, animam, spiritum, satis contra haereticos munitus est. Quippe quum ista susceptio pro salute nostra gesta sit, cavendum est, ne cum crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem ( ita Augustinus *Lib. de Fide, et Symbolo Cap. IV.* ). Hinc adversus pestiferam Apollinaris haeresim, ex qua infinita propemodum errorum portenta in Ecclesiae perniciem sunt invecta, id modo est nobis disputandum, ac evincendum perfectam hominis in Christo fuisse naturam, et suis omnibus absolutam partibus. Quo uno demonstrato, peracta perinde erit et adversus illos caussa, qui aut solam hominis effigiem in Christo adumbratam blasphemarunt; aut solam animae substantiam in ementito corpore; aut ad ultimum Christi carnem aliena ex materia compactam. Quos omnes una haec

praescriptio submovebit, quae veram, et integram hominis naturam in Christo fuisse ostendet.

II. Id autem Scripturarum luculentissima in primis evincunt testimonia; cuiusmodi est ipsius Christi Domini illud in Evangelio Joannis ( X. 17. seq. ) *Animam meam pono pro ovibus meis . . Ego pono animam meam , ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me , sed ego pono eam a meipso , et potestatem habeo ponendi eam , et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Quo loco aliam expresse vides esse animam, quae ponitur, et sumitur, aliam vero Divinitatem, quae ponit, ac sumit. Eodem spectat illud Matthaei ( XXVI. 38. ) *Tristis est anima mea usque ad mortem*; et Ioannis iterum ( XII. 27. ) *Nunc anima mea turbata est: et quid dicam: Pater salvifica me ex hac hora.*

III. Nec porro est cur vim horum contestuum infringere se posse faeculenti putent Apollinaristae, ea regerendo Veteris Testamenti loca, quibus animam suam Deus metaphorice nominat, ut Isaiae ( I. 14. ) *Sollemnitates vestras odivit anima mea.* Quae enim per metaphoram sunt in veteri Testamento usurpata, quum non dum homo factus est Dei Filius, nonnisi proprie

vereque dicuntur in Novo. Ibi quum commemoratur in Deo non anima tantum, sed et manus, pedes, ac alia membra, quis vel stipes non intelligit tropice ea omnia nominari. Sed hic ubi Verbum Caro factum est non per metaphoram illa dicuntur, sed in proprietate verborum. Ita Cyrillus, Caesarius, Augustinus. Quid quod nulla hinc adversariis tergiversandi patet via; nam facile intelliges posse Deum sine anima execrari Neomenias, et Sabbatha, sed quomodo intelliges posse Christum sine anima emori, ac resurgere? quo respexisse Ambrosium video Libro de Incarnatione Cap. VII. *Non per parabolam hoc dicitur, nec perfunctoria significatione, in qua aliud dicitur, et aliud intelligitur, sicut illud Neomenias, et Sabbatha vestra odit anima mea. Licet etiam illud ad Christi animam possit referri, quae ideo posita est ut aboleret Iudaicae superstitionis errorem, et unius Sacrificii institueret veritatem. Sed de hoc dubitent prophetico, evangelicum hoc refutare non possunt, de animae proprietate dictum, cum de morte Domini, et resurrectione sit dictum.*

IV. Porro quandoquidem omnia erant restauranda, et ut cum Apostolo dicam, recapitulanda, atque ad principium a quo de-

fluxerant retorquenda, necesse erat, ut sufficeretur Caput Capiti, Parens Parenti, Christus Adamo, et ut corpus corpori, ita animae anima, et mens menti, et quemadmodum anima mensque primi parentis praevaricationis suae virus in posteros propagavit, anima rursus, mensque parentis secundi posterorum animas mentesque sanctitatis suae fonte irrigaret. Insignis est hanc in rem Gregorii Nazianzeni locus: « Atque omnia propter omnia in unum cojerunt, et propter « unum generis nostri principem; anima nimirum propter eam quae praeceptum transgressa est; caro propter eam quae animae « cupiditati obsecuta, simulque condemnata « est, Christus denique propter Adamum; « hoc est, propter eum, qui sub peccato « factus est, is qui peccato sublimior ac « praestantior erat. Ob hanc etiam caussam, « veteri novum substitutum est, et per passionem is qui passus fuerat, in pristinum « statum revocatus est; ac pro unaquaque « rerum nostrarum, unaquaeque res eius, « qui nobis sublimior est, repensa. Idcirco... « Generatio propter plasmationem; Virgo « propter mulierem; Bethlehem propter Eden; « praesepium propter paradisum; res parvae « et conspicuae propter magnas, et ab ocu-

» lis remotas. *Cet.* Idcirco lignum adversus « lignum, et manus adversus manum : Illae « inquam fortiter extensae adversus inconti- « nenter extensam : illae clavis confixae, et « constrictae, adversus remissam, et solu- « tam : illae orbis extrema coniungentes, « adversus eam, quae Adamum e paradiso « exturbavit ».

V. Scilicet igitur quum peccati labes mortisque miseranda calamitas totum hominem invasisset, singulasque infecisset, tabefecissetque partes; quumque sanari is non alia potuerit medicina, quam si incorruptibilis Verbi Sanctitas toti se illi, singulisque partibus infunderet, suamque affricaret incorruptibilitatem. Ideo apud antiquos Patres, et a cunctis fere haec potissima omnium usurpata est adversus haereticam pravitatem ratio, quod si pars hominis ulla naturae a Filio Dei assumptae defuisset, expers illa fuisset curationis, et salutis, adeoque totus homo non fuisset reparatus, ac redemptus; Hinc illa eorumdem Patrum decantata ἀποφθέγματα: Id Verbum redemit quod assumpsit; Hoc ad vitam revocavit, quod sibi copulavit; Id in nobis salvavit, liberavit, quod pro nobis accepit. Convenit in hunc sensum praeter Nazianzenum Athanasius, cuius egregia haec

est argumentatio in *Lib. de Incarnatione Christi* : « Quaecumque ipse sua voluntate » natura formaverat, ea sua voluntate « in seipsum recepit, ut genituram ex fe« mina, incrementum aetatis, numerum an« norum, laborem, esuriem, sitim, som« num, dolorem, mortem, et resurrectio« nem. Ideoque ubi corruptum fuerat huma» num corpus, eo suum corpus projecit Ie» sus : et ubi tenebatur anima humana in » morte, ibi exhibuit humanam suam animam, » ut ipse invictus a morte, tamquam homi» nem se praesentem ostenderet, et solveret » catenas mortis ut Deus; ut ubi seminata » fuerat corruptio, inde exoriretur incorru» ptibilitas; et ubi regnaverat mors, praesens » ipse immortalis in forma animae humanae « immortalitatem exhiberet, atque ita parti» cipes nos efficeret suae incorruptibilitatis, « et immortalitatis per resurrectionem. *Cet.* » Quomodo igitur dicitis quod pro interiori « homine, qui in nobis est, supercoelestis » mens in Christo fuerit ? Non potuit aliud » pro alio in redemptionem dari, sed cor» pus pro corpore, anima pro anima red» denda fuit, et integrum aliquod pro inte» gro homine «.

VI. Nec minus ingeniosa est Cyrilli Ale-

xandrini disputatio in libro de Recta Fide, cuius huc vertit summa: Ut per unum hominem in omnes homines, per unum corpus in omnium corpora, ita per unam animam in omnes animas, et per unam mentem in omnium mentes, tamquam per unam radicem in omnem stipitem, ramosque universos, ut primum lues ex Adamo, ita salus, et vita, sanctitasque incorruptibilis a Verbo se diffudit. Praeclare et in eumdem sensum scripsit Damascenus Lib. III. de Orthodoxa Fide cap. XVII. *Deum perfectum, et hominem perfectum dicentes Christum, omnino cuncta ei tribuemus, et patris naturalia, et matris. Nam factus homo est, ut quod victum est, vincat. . . . . Eum ipsum igitur qui lapsus est, victorem demonstrare volens, miserator Deus, et amator hominum homo factus est, simile similis reparans. Quod autem rationale animal et intellectuale sit homo, nemo reclamat. Quomodo igitur homo factus est, carnem inanimatam, aut animam irrationalem assumpsit? Non enim hoc homo. Quid autem ab humanatione utilitatis accipimus, eo, qui primo passus fuerat, non salvato, neque conjunctione divinitatis roborato ac renovato? Quod enim inassumptum est, insanabile est.*

VII. Ut autem ad Latinos veniam, eamdem ipsi tenuerunt viam. Faustinus Libro primo contra Arianos Cap. III. *Totus Adam peccaverat, totus Adam expulsus de Paradiso fuerat: totum suscipere debuit expulsum, qui totum salvare venerat. Non enim videbatur totum expulsum in se suscepisse, nisi illum suscepisset per substantiam carnis, et animae. Hoc enim totus homo est per naturam.* Tum Ambrosius in Epistola LXIII. hanc legitimam circumspectionem adversus Apollinarem instituit, « ut confiteamur, sicut in Dei forma nihil ei defuit divinae » naturae, et plenitudinis, sic in illa forma » hominis nihil ei defuisse, quo imperfectus « homo iudicaretur, qui ideo venit, ut totum hominem salvum faceret. Neque enim « decebat, ut qui perfectum opus in aliis « consummaverat, hoc imperfectum in se « esse pateretur. Si enim aliquid ei defuit, « non totum redemit. Si non totum redemit, « fefellit igitur, qui dixit ideo se venisse, « ut totum hominem salvum faceret. Sed « quia impossibile est mentiri Deum, non « fefellit ergo: quia ita venit, ut totum re- « dimeret, et salvum faceret; totum utique « suscepit, quod erat humanae perfectionis ». Quod si accepta carne Filius Dei animam re-

pudiasset, hem quae inde absurda sequerentur, inquit Augustinus (sive quis quis auctor sit Libri contra Felicianum Cap. XIII) *Vellem tamen ab hujusmodi praedicatoribus quaerere, cur accepta carne animam dispensatio Mediatoris omiserit: Nisi forte aut innoxiam sciens, medicinae indigentem non crediderit: aut a se alienam putans, Redemptionis beneficio non donaverit: aut ex toto insanabilem iudicans, curare nequiverit: aut ut vilem, et quae nullis usibus apta videretur, abiecerit. Horum duo in ipsum totius hominis Creatorem blasphemi spiritus incredulitate desipiunt.*

VIII. Sed unus maxime omnium, plenissimeque in hoc versatus est argumento Fulgentius *Lib. I. ad Trasimundum*, cuius huc redeunt dicta: Totus perierat homo, ergo totus susceptus est; Anima et corpore peccaverat, ergo et anima et corpore fuit liberandus « Attendamus (inquit Cap. XIII.) quid « perierit terreni hominis lapsu, et agnosca- « mus quid quaesitum fuerit hominis coelestis « adventu. Consideremus quid in se peccato « vendiderit servus, et apparebit quid susci- « piendo redemerit Dominus, *cet.* Sicut est « inchoatum animae cupiditate peccatum, sic « est carnali comestione perfectum. Et ideo

« quod totus homo reatum transgressionis ad-
« misit, totum sibi diabolus captivavit. Quod
« si totus tenebatur captivitatis vinculo, to-
« tus eguit liberatoris auxilio. Si autem to-
« tum debuit liberare pietas, totum debuit
« suscipere Divina Maiestas. Totius ergo fuit
« hominis a Deo suscipienda natura, quo-
« niam in toto fuit captivitas captivanda, ut
« tota simul acquireretur de captivata captivita-
« te victoria ». Et ( *ibidem Cap. XIV.* ) « Ad
« extremum dicatur, cur ab illa ineffabili
« Divinitate non fuerit animae natura susce-
« pta cum carne? utrum a Deo non fuerit
« facta? an peccato non fuerit vitiata? an
« carne viliorem universalis medicina despe-
« xit? an peccati vulnere sauciatam omnipo-
« tens curare nequivit? *cet.* Illa igitur om-
« nipotens virtus, et pia sapientia nec despe-
« xit velut extraneam quam a se noverat fa-
« ctam: nec sprevit sanandam, quam scie-
» bat gravius vulneratam: nec eam quam
« carne potiorem fecit, a remedio salutis ex-
« clusit; sed sicut totum hominem diabolus
« decipiendo percussit, ita Deus totum susci-
« piendo salvavit, ut agnosceretur idem crea-
« turae totius conditor, et redemptor, qui
« potuit et quod non erat, facere, et quod
« dilapsum fuerat, reparare.

IX. Viden quam opportune et id insuper inculcet Fulgentius, Verbum Divinum et animam adsumpsisse, quia anima magis redemptione egebat, quam caro; et animam rationis compotem, quia nec peccati, nec gratiae iustificantis esset capax, nisi per mentem. Quo respexit Gregorius Nazianzenus in loco quem supra recitavimus, tum et Augustinus Libro contra Felicianum: *Si originem utriusque attendas, pretiosior est animae substantia, si transgressionis culpam propter intelligentiam peior est causa . . . quarum primo meliorem et prudentiae capacem non despexit: secundo eam quae magis fuerat vulnerata, suscepit Christus. Non enim aut sapientiae convenit de duobus aeque suis, insipientissimam plus amare; aut perfectae pietati, magis indigentem non iuvisse.*

X. Praeterea et alterum superest argumentum, quod pari consensu ad confringendam Apollinaris pervicaciam usurparunt Patres; quod oportebat nimirum ut consubstantialis Patri secundum divinitatem, et consubstantialis nobis secundum humanitatem esset qui inter homines et Deum Mediator erat, ac sequester. Ita Fulgentius Libro I. ad Trasimundum Cap. XV. *Quia per peccatum homo fuit separatus a Deo; inter Deum irascentem,*

*hominemque peccantem talis utique Mediatoris debuit intervenire persona, quae ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet: et ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret.* Sed Fulgentio Augustinus praeiverat Epist. III. ad Volus. *Inter Deum et homines Mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.* Ex quo id necessario sequitur qui eiusdem cum utrisque substantiae, hoc est ὁμοούσιος illis esse debuit, ut animam pariter ac corpus haberet. Non esset autem consubstantialis homini, si componente hominem aliqua parte careret.

XI. Nunc autem, ut ad alterum Apollinaris monstrum erroris sermonem convertam, quae ista hominis vel impietas, vel perfidia, ut huc ad extremum impudentissime devenerit, ut animam in Christo agnosceret, mentem vero negaret? An non legerat in Evangelio ( Lucae II. 52. ) *Et proficiebat sapientia, et aetate coram Deo, et hominibus?* An non Apostolum clamantem audierat ad Colossenses ( II. 3. ) *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi?* An non attenderat Isaiae sic de Christo pro-

phetanti ( XI. 2. ) *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, et intellectus, spiritus consilii, et fortitudinis, spiritus scientiae, et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Dei?* Dicat Apollinaris, fortasse haec ad Divinitatem pertinent? Sed ecquis, eo usque blasphemus diceret, Deum sapientia proficere, in Deo requiescere spiritum sapientiae, intelligentiae, scientiae, immo et timoris? Fateatur igitur in humanam Christi mentem haec cadere tantummodo posse.

XII. Futilius autem, et quacumque prorsus indignum refutatione est, quod ad incitas redactus urget haereticus homo, quod Verbum Caro, non homo factus a Ioanne dicatur, quodque mysterium ab una carne Incartionis obtinuerit nomen. Nimirum ita desipit, qui sui immemor ita desipere vult! Neque enim mihi suadeo, hominem in dialectica versatissimum eo inscitiae devenisse tandem, ut latuerit, per synecdochen in Scripturis usitatissimam, *Carnem* pro toto homine poni. An vero praeterfugerat Apollinarem illud Genesis ( VI. 12. ) *Omnis caro corruperat viam suam*: vel non audierat Isaiam ( XL. 7. ) *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini loquutum est*; nec Ioelem (XI. II.) *Effundam spiritum meum in omnem carnem*;

nec Psalmi illud ( LXIV. 3. ) *ad te omnis caro veniet*; et Lucae ( III. 6. ) *Videbit omnis caro salutare Dei?* Vel quem latet eódem tropo, et animarum nomine homines quandoque in Sacris Litteris significari, ut quum ( Exodi I. 5. ) dicitur Iacob descendisse in Aegyptum *cum septuaginta animabus*; et de Ioseph in Psalmo ( CIV. 18. ) quod *ferrum pertransiit animam eius*? Quemadmodum enim hic animae nomine non expungitur caro, ita nec illic carnis voce oblitteratur anima. Caro autem potius exprimitur, ignobilior pars hominis, ut adpareat quid Deus dignatus sit esse pro nobis, quando nostra caussa ipse usque ad deteriorem partem se demisit, inquit Nazianzenus Oratione LI.

XIII. Demum autem Scripturarum exturbati praesidio adversarii, ad rationis ultimum effugium se recipiunt; obiiciunt enim, duas naturas perfectas in unam personam concurrere non potuisse; proinde alteram tantum, scilicet Divinam perfectam fuisse; alteram vero dimidiatam, et anima vel mente mutilam. Heu miseros, ac stultos? Sane ita rem in iis dumtaxat esse quisquis intelligit, quae instar corporum concipiuntur, quae se invicem penetrare non possunt; vas enim unius

modii capax, duos minime continebit, neque corporis unius locus duo corpora. At in rebus incorporeis atque intelligibilibus secus se rem habere, quis umquam inficiabitur? haec namque plura esse simul, atque etiam pervadere ac penetrare se possunt: *Eorum enim* (inquit Gregorius Nazianzenus Epist. ad Cledonium) *quae in intellectum cadunt, haec est natura, ut incorporeo atque invisibili modo, et inter se, et cum corporibus misceantur. Quandoquidem et plurium vocum auris una capax est, et plurium aspectus ab iisdem rebus in oculorum sensum cadentibus capi potest.* Tametsi quum humana natura perfecta dicitur, non ea perfectione ornata intelligitur, qua nulla maior esse possit, quomodo est perfecta natura Divina; sed dicitur perfecta in suo ordine, ita tamen ut ad altiorem perfectionem in ordine supernaturali elevari possit.

Haec satis; » Est ergo fides recta, ut cre-
» damus, et confiteamur, quia Dominus no-
» ster Iesus Christus Dei filius, Deus, et ho-
» mo est. Deus est ex substantia Patris, an-
» te saecula genitus; et homo est ex sub-
» stantia matris in saeculo natus: perfectus
» Deus, perfectus homo, ex anima rationa-
» nali, et humana carne subsistens ».

## Sectio IV.

### *Veritas affectuum animae in Christo.*

I. Iam porro consectarii loco et id stabiliendum, una cum anima humana, animae etiam affectus suscepisse Verbum. Sed testimonia abunde patent apertissima; Scriptum enim in Evangelio Matthaei (XXVI. 37.) *Coepit contristari*, *et moestus esse*, ac ipsiusmet Verbi vox illa est querentis: *tristis est anima mea usque ad mortem.* At cur contristatus, inquit Hieronymus in hunc locum, nisi ut veritatem adsumpti probaret hominis? Et Ambrosius (in Cap. XII. Lucae): *Tristis autem est, non ipse, sed anima. Non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima. Suscepit enim animam meam suscepit corpus meum. Non me fefellit, ut aliud esset, et aliud videretur. Tristis videbatur, et tristis erat.* Nec minus praeterea est contristatus, Lazarum ubi mortuum invenit (Ioan. XI. 35.); vel ubi videns civitatem flevit super illam (Luc. XXI. 41.) Quid quod et timore insuper ac taedio correptum, ex Marci Evangelio habemus (XIV.

33. ) *Coepit Iesus pavere et toedere*, quo et illius tendit Oratio ad Patrem : *Pater si vis, transfer calicem istum a me.*

II. Scilicet ergo, ut sanari humanos affectus in nobis, ita et a Verbo suscipi conducebat ; non enim eos nisi adsumendo, gestandoque sanavit. Ex quo nostrum animum non despondere docemur, neque perturbationum intestinis tumultibus frangi, quibus ipsa Dei virtus inexpugnabilis, atque omnipotens est impetita. Harum enim perturbationum vires ipse in se suscepit, sustinuitque ut elideret : oppugnari ab illis voluit, ut expugnaret: fregit illas subeundo ; fractasque nobis substravit. Audiamus Leonem Magnum sic egregie disserentem *Serm. III. de Passione* : » Tristis est anima mea usque ad mortem. Et » iterum, Pater si fieri potest, transeat a » me calix iste. Quibus verbis quamdam formidinem profitentibus, nostrae infirmitatis » affectus participando curabat, et poenalis » experientiae metum subeundo pellebat. In » nobis ergo Dominus nostro timore trepidabat, ut susceptionem nostrae infirmitatis » indueret, et nostram incostantiam suae virtutis soliditate vestiret. Venerat enim in » hunc mundum dives et misericors negotiator coeli, et commutatione mirabili inierat

» commercium salutare, nostra accipiens,
» et sua tribuens: pro contumeliis hono-
» rem, pro doloribus salutem, pro morte
» dans vitam: et cui ad exterminationem
» persequentium poterant plusquam duodecim
» millia Angelicarum servire legionum, ma-
» lebat nostram recipere formidinem, quam
» suam exercere potestatem «.

III. Quod si hisce humanae animae affectibus non pugnasset Christus, profecto nec vicisset: si non vicisset, certe nullum nobis suppeditasset victoriae documentum. Sed autem ideo illos assumpsit; ut pugnaret, ideo pugnavit ut vinceret, ideo vicit ut et exemplum praeberet ad fortiter agendum, ac solatium ad non desperandum. Ideo inquit (Ioan. XII. 27.) *Nunc anima mea turbata est*, in quem locum ita Augustinus *Tract. LII. in Ioannem*: » Qui mortuus
» est pro nobis, turbatus est idem ipse pro
» nobis. Qui ergo potestate mortuus est, po-
» testate turbatus est. Qui transfiguravit cor-
» pus humilitatis nostrae conforme corpori
» gloriae suae, transfiguravit etiam affectum
» infirmitatis nostrae, compatiens nobis affe-
» ctu animae suae. Proinde quando turbatur
» magnus, fortis, certus, invictus, non ei
» timeamus, quasi deficiat. Non perit, sed

» nos quaerit; nos inquam, nos omnino sic » quaerit; nos ipsos in illius perturbatione » videamus, ut quando turbamur, non de- » speratione pereamus. Quando turbatur qui » non turbaretur nisi volens, eum consola- » tur qui turbatur et nolens. Pereant argu- » menta Philosophorum qui negant in sapien- » tem cadere perturbationes animorum. Stul- » tam fecit Deus sapientiam hujus mundi: et » Dominus novit cogitationes hominum, quo- » niam vanae sunt. Turbetur plane animus » Christianus, non miseria, sed misericor- » dia; timeat ne pereant homines Christo; » contristetur quum perit aliquis Christo ».

IV. Ut autem omne erroris periculum hac in re praecaveatur, id prudens moneam quod iterum iterumque inculcavit Angelicus Doctor, secus nempe hasce tristitiae ac timoris passiones in Christo fuisse quam in nobis. Ac primum quidem tenendum, inculpatos dumtaxat animae nostrae affectus in Christo fuisse, atque ab omni vitiositatis inquinamento puros, quippe nullum in Christo fuit, nec potuit esse peccatum. Ad rem Basilius Epist. LXV. *Pravas affectiones quae puritatem animae nostrae inquinant, eas tamquam immaculata deitate indignas abiecisse credimus: ob hoc enim dictus est in similitudine natus carnis*

*peccati. Non enim in similitudine carnis, ut his videtur, sed in similitudine carnis peccati. Quapropter carnem nostram cum naturalibus affectibus induit, peccatum autem non fecit.* Quod vero ad congenitos illos naturae affectus pertinet. quibus non peccati, sed ignorantiae inhaeret suscipio, et hos immunes ab huiusmodi sordibus assumpsisse Christum fatendum est. Scimus quidem in Evangelio admiratum esse Iesum Centurioris fidem, quid at? admiratio ignorantiae filia est in nobis, non autem in Christo, in quo coacervati omnes erant thesauri sapientiae, et scientiae Dei. Admiratus est utique Centurionis fidem, sed illius utique non erat nescius; quum enim eius ipse opifex et largitor esset, eius etiam et conscius erat, et praescius: *An vero* ( cum Augustino dicam Libro I. contra advers. Leg. et Prophet. Cap. VII.) *alius eam in corde Centurionis operabatur, quam ipse qui mirabatur? an ergo non erat admiratio, quia nec ignoratio? immo: Sed Iesus qui omnia praesciebat quod mirandum aliis commendabat, mirando laudabat.*

V. Alterum, quod est sedulo animadvertendum inter nostras et Christi passiones discrimen, id est, quod nos necessitate non voluntate his subdimur affectibus, Christus

voluntate, non necessitate; Christus illis imperabat, nos servimus; ille modum, ac initia, incrementa, et finem in sua habebat potestate, nos nihil in nostra habentes potestate nec affici incipimus quum libet, nec quantum volumus afficimur, nec fini moderamur. Egregie Augustinus Lib. XIV. de Civit. Dei Cap. IX. *Ille hos motus certae dispensationis gratia, ita eum voluit, suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo... Nos etiam dum nolumus flemus. Habemus eas ergo ex humanae conditionis infirmitate, non ita autem Dominus Iesus, cuius et infirmitas fuit ex potestate.* Et rursus Tract. LX. in Ioan. » Non est ullo modo dubitan-
» dum, non eum animi infirmitate, sed po-
» testate turbatum, ne nobis desperatio sa-
» lutis oriatur, quando non potestate, sed
» infirmitate turbamur. Carnis quippe gerebat
» infirmitatem, sed qui non solum homo,
» verum etiam Deus erat, ineffabili distan-
» tia, universum genus humanum animi for-
» titudine superabat. Non ergo aliquo est co-
» gente turbatus, sed turbavit semetipsum,
» quod de illo evidenter expressum est, quan-
» do Lazarum suscitavit. Nam ibi scriptum
» est; quod turbaverit semetipsum, ut hoc
» intelligatur et ubi non scriptum legitur, et

» tamen eum legitur fuisse turbatum. Affectum » quippe humanum, quando oportuisse iudi- » cavit, in seipso potestate commovit, qui » hominem totum potestate suscepit ».

VI. Demum tametsi humanae istae affectiones in Christo Iesu verae fuerint, haud ab ima tamen carnis sollicitudine exhalabantur, quemadmodum in nobis, quin superne immo ab incommutabili veritate et iustitia Verbi, ac a mente inde foeta excitabantur, fovebantur, regebanturque. Nec praeterea passionum carnales temporalesque erant caussae, sed spirituales, ut non tam passiones, quam propassiones dici possint, quandoquidem non ex metu mortis, sed ex spirituali erga perituros affectu exoriebantur. Timuit quidem, sed non sibi timuit mori certo, quam suis timuit a diabolo perfidiae principe dissipandis. Contristatus est, sed non tam de morte carnis suae contristatus, quia ad hoc venerat, quam de proditore illo miserrimo Iuda, quam de Apostolorum scandalo, ac defectione, de Iudaeorum excoecamento atque reiectione, deque generis humani demum pervicacia, plurimum mortis suae fructum repudiatura. » Praesigna- » vit Dominus ( inquit Augustinus in Ps. » XCIII. ) in sua infirmitate te, non se : » non enim timebat pati, tertio die resurre-

» cturus. Si prorsus quomodo homo patere-
» tur, et non quomodo Deus pati veniret,
» et si sciret se post triduum resurrecturum,
» nullo modo formidaret moriturus, quod
» non formidavit Apostolus in fine saeculi re-
» surrecturus. Ait enim: Compellor autem ex
» duobus, concupiscentiam habens dissolvi,
» et esse cum Christo *cet.* At cum appropin-
» quaret ipsa passio, quomodo exultabat,
» quomodo gloriabatur? Bonum certamen cer-
» tavi, cursum consummavi, reposita est
» mihi corona, *cet.* Iste gaudet coronandus,
» et tristis est ille coronaturus? »

## Sectio V.

### *Veritas humanae voluntatis et operationis in Christo. Adversus Monothelitas.*

I. Nunc vero, quod reliquum est, Monothelitas adgredimur, una ac sola voluntate explevisse omnia Verbum blasphemantes. Neque tamen ad huiusmodi evertendam pravitatem multa ego ex Scripturis congeram, quae Divinam Christi evincunt voluntatem, quam fortasse adversarii non inficiantur, et cui demonstrandae aptissima sunt Christi verba ( Lucae XIII. 35. ) *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, et noluisti.* Quae vel obstinatissimus quisquis de Divina voluntate intelligat oportet; quandoquidem varios Divinae suae providentiae modos Iudaeis exprobrat, quibus illos voluit ab externorum errore abducere, sibique aggregare, ipsi autem noluerunt. Et Ioannis, ( V. 21. ) *Sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et filius, quos*

*vult vivificat* : quo loco cum voluntate Patris, voluntas filii comparatur ; at compatationes nonnisi in his instituuntur, quae eiusdem sunt substantiae, videlicet sicut Deus Pater voluntate sua mortuis vitam tribuit, sic et ipse eiusdem cum Patre substantiae, eiusdemque voluntatis, quibus vult vitam praebet.

II. Nam orationis cardo circa humanam Christi voluntatem versatur, quam hostes pessimi novo agmine adgrediuntur, quamque validissimis argumentis constabilire necessum est. Sane vero nihil aptius, ponderosiusque ad propositum nostrum evincendum, quam ipsius Domini testimonium ( Matth. XXVI. 39. ) *Pater mi , si possibile est , transeat a me calix iste* : *verumtamen non sicut ego volo , sed sicut tu*. Et ( Lucae XXI. 42. ). *Pater, si vis, transfer calicem istum a me, verumtamen non mea voluntas , sed tua fiat*; quorsum enim hic mea , et tua voluntas , quum Divina Christi voluntas , una eademque est cum Patris voluntate ? Expressa igitur ibi manifestissime non Divina, sed humana Christi voluntas, quam Christus ipsemet in Evangelio ( Ioannis . VI. 38. ) disertis verbis explicavit: *Descendi de coelo , non ut faciam voluntatem meam , sed voluntatem eius qui misit me*. Quid quod inquit Apostolus ( ad

Philip. II. 8. ) *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* An vero Christum voluntate Divina Patri obedientem dicamus? Sed ut Deus, non inferior Patre est filius, sed illi aequalis. Quo faciunt et verba Matthaei ( XXVII. 34. ) *Quum gustasset, noluit bibere.* Et Ioannis ( VII. I. ) *Non volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.* Et Marci ( VI. 48. ) *Ambulans supra mare, volebat praeterire eos.* Sane huiusmodi voluntas Christi ut hominis est, non ut Dei, quemadmodum ambulatio humanitatis est, non divinitatis.

III. Consistamus autem hic parumper, et sanctissimos Patres nostros consulamus. In primis Basilius audiendus Lib. contradict. adversus Apollinarem: *Quia alia est humana voluntas, alia Divina, loquitur quidem, et quasi ex homine, quod infirmitati naturae congruit, qui nostras passiones assumpsit. Qui enim dixit, NON MEA, humanam hoc sermone significavit: addens vero, TUA, ostendit coniunctionem suae deitatis ad Patrem, cuius nulla voluntatis est differentia propter communitatem ad Patrem. Nam Patris dicens voluntatem, etiam Filii demonstravit.* Adhuc unum non amplius addam,

Graecorum nomine, Sancti Ioannis Damasceni locum Orat. de duabus Christi voluntatibus: *Si quidem non assumpsit humanam voluntatem Christus, qua voluntate factus est Patri obediens? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate factus est sub lege? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem iustitiam.*

IV. Enimvero quum humana voluntas in primo parente Adamo praeceps in abrupta defectionis ivisset, totumque hominem suo implicuisse exitio, nonne et illa in primis aegra, ac peccati lue obrigescens medico egebat, ut convalesceret? Vel quo tendisset tandem tota Verbi dispensatio in carne si pharmacum reliquo adspergeret corpori, vulnus autem ipsum attrectare, aut curare abnueret? Ita sane e vestigio ex Gregorio Nazianzeno Ioannes Damascenus disputat ibidem: « Quod enim non assumptum fuit, « non est curatum ( ut ait Gregorius Theo- « logus ) quid enim offenderat, quod pec- « caverat, id demum amplius curatione ege- « bat. Quod si neges id ab eo assumptum « quod peccaverat; fateare necesse est, nec « peccatricem quidem ac aegram naturam « eum assumpsisse. Quod si non assumpsit, « nec humanam assumpsit naturam: ipsa « quippe est quae peccaverat ».

V. Ex adverso si sanari potuerit, etsi assumpta non sit ea, quae gravissime sauciata erat voluntas humana, profecto potuit Verbum et totam hominis naturam non assumere, et carnis gestatione, suique defatigatione supersedere. Et potuit ut natura tota, ita et potissima eius pars voluntas nulla infusa vita reviviscere, nullaque adspersa medicina sanari. Et quo Scripturarum ibit auctoritas? quo ibit et Mysterii dignitas, et salutis nostrae procuratio? Nimirum uno isto nefarioque Monothelitarum ausu totum Dei everteretur Sacramentum. Proinde neque sua morte Christus mortem interemisset nostram, nec timore suo nostrum discussisset timorem, nec per omnia adsimilatus fratribus esset ut simili similem curaret natura, nec demum in quo tentatus, et passus ipse est, potens esset iis qui tentantur opitulari. Hem in quae abrupta nos Monothelitae coniicerent!

VI. At iam prope ex mente exciderant Latini Patres, quorum et attendenda suffragia. Ambrosius Lib. II. de fide ad Gratian. Cap. III. *Mea est voluntas, quam suam dixit; quia ut homo suscepit tristitiam meam, ut homo locutus, et ideo ait: non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Firmatur autem idipsum validissime Augustini egregio testimo-

nio ex *Lib. III. Cap. XX. contra Maximinum Arianum*: « Ubi autem dixit Filius « Patri: *verum non quod ego volo, sed* « *quod tu vis* . . . ex natura hominis hoc « dixisse Dominum, cito videt, qui locum « ipsum Evangelii paulo attentius intuetur. « Ibi enim dixit: *Tristis est anima mea* « *usque ad mortem*. Numquid ex natura unici « Verbi possit hoc dici? sed, homo, qui putas « naturam gemere Spiritus Sancti, cur « non etiam naturam Verbi Dei Unigeniti « tristem dicam esse potuisse? Ille tamen » ne quid tale diceretur, non ait, tristis » sum, (quamvis etiam si hoc dixisset, non» nisi ex natura hominis oportuisset intelli» gi) sed ait: Tristis est anima mea; quam » sicut homo utique habebat humanam. Quam» quam et in hoc quod ait: Non quod ego » volo, aliud se ostendit voluisse, quam » Pater, quod nisi humano corde non pos» set; cum infirmitatem nostram in suum, » non divinum, sed humanum transfiguraret » affectum. Homine quippe non assumpto, » nullo modo Patri diceret unicum Verbum: » Non quod ego volo. Numquam enim pos» set immutabilis illa natura quidquam aliud » velle, quam Pater ». Demum Sanctus Leo his consonantissima scripsit Epist. CLXV.

ad Leonem Imp. *Secundum quidem formam Dei, ipse et Pater unum sunt: Secundum autem servi formam, non venit facere voluntatem suam sed voluntatem eius qui misit eum.*

VII. Adhuc autem praeclara sunt, atque ad rei quam tractamus elucidationem opportunissima, quae idem Sanctus Pontifex de propriis utriusque naturae operationibus ibidem disputat: » Licet ergo in uno Domino » Iesu Christo, vero Dei atque hominis filio, » Verbi et carnis una persona sit, quae in» separabiliter atque indivise communes ha» beat actiones; Intelligendae tamen sunt » ipsorum operum qualitates, et sincerae fi» dei contemplatione cernendum est, ad quae » provehatur humilitas carnis, et ad quae in» clinetur altitudo divinitatis. Quid sit quod » caro sine Verbo non agit; et quid sit quod » Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi » enim potentia, nec conciperet caro, nec » pareret: et sine veritate carnis obvoluta in» fantia non iaceret. Sine Verbi potentia non » adorarent Magi puerum Stella indice de» claratum: et sine veritate carnis non iube» retur in Aegyptum transferri puer, et ab » Herodis persecutione subduci. Sine Verbi » potentia non diceret vox missa de Coelo:

» *Hic est Filius meus dilectus*, *in quo* » *mihi bene complacui*, *ipsum audite*; et sine « veritate carnis non protestaretur Ioannes: *Ecce* » *Agnus Dei*, *ecce qui tollit peccatum mun*- » *di*. Sine Verbi potentia non fieret redin- » tegratio debilium, et vivificatio mortuorum: » et sine veritate carnis nec cibus ieiuno, nec » somnus esset necessarius fatigato. Postremo » sine Verbi potentia non se Dominus Patri » profiteretur aequalem; et sine veritate car- » nis non idem diceret, Patrem se esse ma- » iorem ».

VIII. Porro igitur duplicem esse Christi voluntatem, et operationem ex duplicis naturae fundamento, quod nec ipsi convellere moliti sunt umquam Monothelitae, adprime demonstratur. Voluntas enim et operatio, vel naturalis est, vel hypostatica, sive vel naturam sequitur, vel hypostasim. Si naturalis ponatur, ergo ubi natura duplex est, erit et duplex voluntas atque operatio, sicut ex adverso ubi fuerit unica voluntas et operatio, erit et unica natura. Non est autem Christi natura una, sed duplex, ergo et voluntas atque operatio duplex est. Si autem hypostaticam obtrudant nobis voluntatem et operationem: et quia una Christi hypostasis est, unam eius effutiant esse et voluntatem

et operationem, iam id sequeretur longe absurdum, et a fidei regula alienissimum, quod quum in Deo tres sint hypostases, triplex erit Dei et voluntas, et operatio. Ergo quemadmodum in Deo uno et trino, non propter trinitatem hypostaseon triplicatur, sed ob unitatem naturae una datur voluntas, et operatio: ita in Deo atque homine Christo, non una est propter unam hypostasim, sed duplex ob duplicem naturam tum voluntas, tum operatio. Ita quidem atque egregie disputat Maximus Martyr cum Pyrrho, quam et adprime validissimam argumentationem ipsissimis prope verbis urgent Damascenus *Lib. III. de Orthodox. Fide cap. XIV.* et Agatho Pontifex in *Epist. Act. VI. sextae Synodi.*

IX. Ergo duplex in Christo statuenda voluntas, atque operatio, quia duplex natura, secundum illud Patrum nostrorum solemne axioma, a Damasceno praedicatum Orat. de Duab. Christi voluntat. *Quorum natura diversa, illorum diversa actio; et quorum diversa actio, illorum et diversa natura. Et ex adverso quorum natura est eadem, horum et actio est eadem; et quorum actio una, horum et substantia una est.* Secus enim qui naturam longe disparem, eadem pollere virtute dicas, ac naturam praecellentissimam,

et supra naturas omnes positam? Qui humanae, et divinae, infimae et summae, infirmae et omnipotentis eamdem obtrudas vim, eamdemque facultatem? Sed quid pluribus? Si humanitas et Deitas idem praestat, efficitque, iam susque deque versa omnia habes, et summis ima permixta.' Ex quo probe infert Damascenus Lib. III. *Impossibile est increatae, et creatae naturae unam naturam, aut virtutem, aut actionem esse.* Et Ambrosius Lib. II. ad Gratian. *Numquid sic potest minor, quemadmodum maior operari? aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?*

X. His autem opportune animadversis, pretium nunc operae facturum me existimo viam aliquam ad operationes Christi dignoscendas explanare, ac regulas quasdam ex veterum scriptis delibare, quibus haereticorum argutationes dispelli levissime possint. Sed perspicuitatis gratia, triplex hac prima fronte operationum Christi genus est attendendum; nam aliae divinae penitus erant, in quibus nullae humanitatis partes, ut mundum creare; aliae merae humanae, a Deitatis natura alienae: ut esurire, comedere, lacrymari; aliae demum mixtae, ab utraque natura et summa et ima quasi corrivatae,

ut tactu carnis mortuum exsuscitare. Qua distinctione usus in primis est Sophronius in Epistola, quae habetur Action. XI. Sext. Synodi: *Unius filii cuncta esse certificamur, omnesque eius et voces, et operationes esse credimus, licet quaedam earum sint* θεοπρεπεῖς, *quaedam* ἀνθρωποπρεπεῖς, *aliae medium quemdam ordinem obtineant, tamquam et Deo dignum, et humanum simul quid habeant.* Similiter Maximus Martyr *in Epist. Dionysii*: « Siquidem, ut Deus tantum o-« perabatur quando absens centurionis filium « sanabat; ut homo tantum, etsi Deus erat, « quando comedebat, et tristabatur; mixtim « autem operabatur miracula, caecis oculos illi-« niendo restituens, hoemorrohoissae fluxum « solo tactu sistens ». Ac demum Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Acacium Melitensem: *Aliae sunt voces quae divinae maxime conveniunt; aliae quae in humanam naturam congruunt; aliae medium quemdam ordinem tenent, ac Dei Filium pariter, et hominem simul, et eadem significatione comprehendunt.*

XI. Porro communes hasce, et ex Divina ac humana mixtas operationes Graeci Patres *Theandricas* dixerunt, Latini vero *Dei viriles*, cuius vocis Dionysius auctor est in Epist. IV. ad

Caium. *Ceterum nec divina ut Deus gerebat, neque humana, ut homo: sed inhumanato Deo, novum quamdam Deivirilem operationem nobiscum conversando exhibebat* καινην τινα την θεανδρικην ενεργειαν ημιν πεπολιτευμενος. Verum theandrica huiusmodi operatione non unam, sed duas indivulse et inconfuse connexas Deitatis, atque humanitatis operationes significari perpetuo Catholici adversus Monothelitas tenuerunt (18); denudata in pri-

(18) Idque ex ipso *Theandricae* operationis nomine patet, quod ut Deum atque hominem connectit, non confundit, ita et naturam atque operationem humanam atque divinam copulatas arctissime, non confusas tamen declarat. Hinc Maximus Martyr contra Pyrrhum: *Vox ipsa quadam circuitione, per numeratas naturas, earum operationes tradit.* Si altera enim alteram oppressisset, et quasi devorasset operatio operationem, ut haeretici halucinabantur, nempe maior minorem, humanam Divina, non haec Deivirilis, sed Divina tantum operatio fuerat vocitanda: eaque de caussa *Theandricam* operationem recusabat Collutho, ut quae geminae vocis contextu, geminae quoque operationis copulam ostenderet. De quo Beatissimus Pontifex Martinus: *Propterea namque recusavit Colluthus asserere Deivirilem operationem, eo quod talis vox duas significat*

mis Cyri Alexandrini impostura, qui in Pseudo synodo pro *nova* in Dionysiano textu *unam* subiecit deivirilem operationem, cui accessit, et Sergii Constantinopolitani Episcopi fucus, qui oppressa *Deivirilis* voce, *unam* absolute pronunciavit operationem. Quam pravitatem, corruptionemque Martinus Pontifex detexit in Synodo Lateranensi: « Beato Dionysio asseren- » te novam quamdam deivirilem operationem » inter nos conversatam: uterque eorum » apertissime contra Patrem mentitus est. Et » Cyrus quidem in suo septimo capitulo *no-* » *vam* immutando, et *unam* pro nova asse- » rendo; Sergius autem immutationem *novae* « cum illo confirmans, et non solum hoc, « sed et *Deivirilem* amputans penitus vocem, » et unam absolute in Christo Deo dogmati- » zans operationem ». Ergo triplici operationum Christi discreto genere, ad regulas veniamus.

I. *Christi operationes, quarum aliae humanae sunt, aliae Divinae, unius et eiusdem operantis sunt.* Unitas enim operantis ab unitate personae desumitur, quae una in Christo est. Ad rem Sanctus Ioannes Dama-

---

*operationes, idest Divinam, et humanam* cet. *Ideo Colluthus Deo decibilem tantum, et non Deivirilem operationem asserebat.*

scenus Cap. XIV. *Quoniam una est duarum naturarum ipsius hypostasis, unum eumdemque dicimus esse volentem et operantem naturaliter secundum ambas naturas, ex quibus, et in quibus est Christus Deus noster* Ita et Ambrosius Lib. II. de fide ad Gratian. Cap. IV. *Servemus distinctionem Divinitatis et carnis, unus in utraque loquitur Dei filius, quia in eodem utraque natura est. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones.* Augustinus quoque Tract. LXXVIII. in Ioan. *Quid igitur haeretice? Cum Christus Deus sit et homo; loquitur ut homo, et calumniaris Deo? ille in se naturam commendat humanam; tu in illo audes deformare divinam.* Disertissime demum Sanctus Leo Epist. XVI. ad Flavian. Cap. IV. » Agit enim utraque forma cum alterius » communione quod proprium est; Verbo » scilicet operante quod Verbi est, Dei car- » ne exequente quod carnis est. Unum ho- » rum coruscat miraculis, aliud succumbit » iniuriis. Et sicut Verbum ab aequalitate « paternae gloriae non recessit, ita caro na- » turam nostri generis non reliquit. Unus » enim idemque est, quod saepe dicendum » est, Dei filius, et vere hominis filius. » Deus per id quod *in principio erat Ver-*

» *bum*, *et Verbum erat apud Deum*, *et*
» *Deus erat Verbum*: Homo per id, quod
» *Verbum caro factum est*, *et habitavit in*
» *nobis* «.

II. *Tametsi unus sit operans*, *duae tamen*, *et diversae sunt operationes*. Non enim quia unus est agens, ideo una actio, uti somniabant Monothelitae, sed duae ac distinctae, Verbo nimirum operante quae Verbi sunt, et carne exequente quae carnis sunt. Quemadmodum enim humana natura Divinae ita implicatur, ut et ab ea formetur, et ab ea indeclinabiliter geratur, regaturque; nec tamen arctissima haec copulatio ex duabus naturis unam compaginat naturam, sed unam dumtaxat hypostasin; ita etsi humana operatio puta contactus, divinae, nimirum illuminationi, strictissime connectatur; non ex duplici tamen operatione una concrescit operatio, sed unus operans, id est una hypostasis comprobatur. Non potest enim altius incurrere, et implicare se operatio in operationem, quam natura in naturam: si ergo ex naturae in naturam incursu non una exultat natura, nec una similiter ex operationis in operationem illapsu emicabit operatio; et ut illic unus emergit utramque habens naturam, quod est una hypostasis: ita hic unus con-

surgit operans operatione utraque, quod non aliud est quam una pariter hypostasis. Ita sane Damascenus Lib. III. de Orth. Fid. Cap. XV. *Quemadmodum unitas naturas cognovimus, et se invicem immeantes, et earum tamen differentiam non negamus, sed et numeramus, et easdem inseparabiles cognoscimus, sic et voluntatum, actionumque coniunctionem cognoscimus, et differentiam intelligimus, et numeramus, et divisionem haudquaquam inducimus.*

III. *Non agit divisim, ac separatim natura una, ab altera, sed conjunctim.* Agit enim, ( ut Sanctus Leo inquit loc. supr. cit. ) utraque natura, cum alterius communione, quod proprium est. Et Sophronius Hierosolymitanus in Epistola Synodica ad Sergium: *Non enim divisim naturae quae propria erant operabantur, ut partitionem ullam suspicemur.* Ex quo quisque intelliget, hanc esse indivisae illius operationis originem, naturarum summam et individuam coniunctionem. Quemadmodum enim in ignito gladio, naturae ignis, et ferri, simul sectionem, et adustionem operantur, unusque gladius est agens in utroque, ita in Christo Deo simul et homine natura Divina et humana simul di-

vinas et humanas actiones operatur, unusque totusque Christus est agens in utrisque.

IV. *Actiones Christi Domini, quae propriae fuerunt humanae naturae, sive liberae, sive etiam naturales et necessariae ex nutu, et arbitrio Divinitatis gubernabantur.* Unum enim erat το ηγεμονικον, sive principale agens; nec nisi easdem partes Divinum Verbum in Christi administrandis functionibus obiit, quas in homine simplici animus sive mens exercet. Plura nos de hoc argumento supra libavimus; ubi de animae Christi affectionibus sermo fuit. Ad redundantiam ita Damascenus *Lib. III. Cap. XV. de Fide Orthodox.* » Corpus omnia quae sunt propria corporis ad nutum et voluntatem perfecisse copulati sibi Verbi, cuius erat proprium. Non enim a seipso in naturales passiones appetitu ferebatur: neque tristia refugiebat, ac detrectabat: aut vero extrinsecus appulsa patiebatur. Sed movebatur secundum naturalem propensionem, volente Verbo, et concedente pati, aut agere quae sibi erant propria, et consentanea ». Accedit Sophronius, qui *loc. supr. cit.* adposite inquit: » Divinam naturam, ita sibi subiectam habuisse, ac rexisse humanam, ut ei quando vellet, potestatem faceret operandi, ac patiendi

quae propria sunt illius. Non enim invitus, et necessario ista suscipiebat; quamvis naturaliter, et humanitus haec admitteret. Absit haec detestanda cogitatio. Nam Deus erat qui carnaliter tolerare ista sustinebat . . . . verum quando perpeti, agere, et operari humanitus ipsi libitum esset, et intuentibus prodesse decreverat, propter quos homo revera factus est. Non autem cum motus naturales, et carnales impelli naturaliter ad operandum volebant, aut insidiantes impii consilia exequi sua audacter cupiebant ». Bernardus demum Serm. IV. de Hebdom. Sanct. *Verbum quia carnem purissimam, et animam sanctissimam univerat sibi, libere moderabatur actiones corporis sui, tum quia sapientia et iustitia erat; tum quia nullam habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suae.*

V. *Humana Christi natura instrumentum Divinae fuit, per quod Divinitas operabatur ea, quae humanum modum excedebant, et quae ad utilitatem, et salutem nostram referebantur.* Hinc Cyrillus Alexandrinus in Dialogo de Incarnatione Verbi. » Usus tamquam instrumento, propria quidem carne ad opera carnis, et ad naturales aegritudines, et eiusmodi alia, quae extra reprehensionem

erant : anima vero itidem propria, ad humanas, et expertes vitii passiones. Nam et esuriise dicitur, et longinquarum peregrinationum labores pertulisse: consternationes item, ac metus, nec non dolorem, et angorem, ac mortem denique in Cruce. Nimirum igitur quae per se se pati aut agere nequibat Deitas, quaeque nihilominus ad nostrae salutis dispensationem necessaria videbantur; ea per humanam naturam administravit, per corpus scilicet animamque hominis, quem assumpsit, eoque quasi instrumento est usus. Sic quum pati ac mori impassibilis ipse ac immortalis non poterat, hominem se fecit, ut per hominem pateretur, mortemque subiret ».

VI. *Operationes Christi etiam humanae singularis praestantiae fuerunt, ac hactenus inusitatae, et omni admiratione maiores.* Nam vi ( inquit Cyrillus Dialogo quod unus sit Christus ) verum est quod ignis circa materiam aliquam versans, eam, quae alioqui ex sua natura calida non est, calidam efficit: immittit enim ei abunde facultatis, qua praeditus est, τκν ενεργειαν; quo pacto non potius immittit Deus Verbum propriae suae carni τον ζωοτοιον εαυτου δυναμιν και ενεργεια? Atque huc omnes illae veterum sententiae spectant, et ex eo interpretandae sunt, quae hu-

manam naturam, et ενεργειαν Christi Domini idcirco deificatas esse docent, quod cum Deo Verbo copulatae sunt, et eius propriae factae: tum quod humana natura, auctore, ac moderatore Deo ita gubernabatur, nihil ut sine ipsius nutu prorsus ageret; tum demum quod agendi vim, et potentiam ab Divina persona, tamquam a forma determinante ac perficiente, et ultimum substantiae complementum adhibente caperent, sine quo nec existere in rerum natura, nec operari omnino potuisset. Atque ex eo factum, ut operationes omnes, hominis propriae divinae censerentur, vereque θεανδρικαι.

XIII. Adhuc tandem et id restat, ut pracipua sive argumentorum sive calumniarum capita, quae ab haereticis adversus Catholicum Dogma sunt opposita, dissolvamus. *Unus est Christus*, cffutiebat Pyrrhus in disputatione cum Maximo Martyre, *ergo ut unus volebat, proindeque unica est Christi voluntas non duae*. Quid? an desipere id tandem est ratiocinari? Licet enim unus sit Christus, est tamen natura Deus, et homo volebat igitur Christus ut Deus, homo; proindeque dupliciter, et non uno modo volebat, licet unus esset. Etenim si nihil aliud est Christus praeter naturas suas, et in quibus est; perspicuum

est quod convenienter naturis suis Christus et volebat, et operabatur. Erant autem duae naturae eius: duae igitur voluntates eius naturales, et quae cum ipsis numero totidem sunt substantiarum operationes. Sicut enim numerus naturarum unius Christi non dividit Christum, sed differentiam naturarum etiam in unione custodiri demonstrat; sic numerus voluntatum, et operationum, quae secundum substantiam in eius naturis insint, non divisionem inducit, sed earum etiam in unione custodiam tantum, et incolumitatem declarat.

XIV. Amplius in quo maxime triumphant, et in quo veluti fundamentum haeresis constituerant non Pyrrhus tantum, et Paullus Constantinopolitanus, sed et Macarius Antiochenus Episcopus ex eadem secta recoctus haereticus, id erat insidiosum argumentum: *Impossibile est in una persona duas inesse voluntates absque contrarietate; ergo vel in Christo una erat voluntas; vel duae sed contrariae.* Sed perfidiam callidissimorum hominum strenuo Patres domarunt; unumque omnium nomine proferam Angelicum Doctorem Thomam *Quaest. XVIII. art.* 6. « Licet « autem voluntas naturalis, et voluntas sen- « sualitatis in Christo aliquid aliud voluerit, « quam voluntas Divina, et voluntas ratio-

« nis ipsius ; non tamen fuit aliqua contra-
« rietas voluntatum. Primo quidem , quia
« neque voluntas naturalis , neque voluntas
« sensualitatis repudiabat illam rationem ,
« qua divina voluntas , et voluntas rationis
« humanae in Christo passionem volebat . . .
« Secundo , quia neque voluntas Divina , ne-
« que voluntas rationis in Christo impedieba-
« tur , aut retardabatur per voluntatem na-
« turalem, aut per appetitum sensualitatis. Si-
« militer etiam , nec e contrario voluntas di-
« vina , vel voluntas rationis in Christo re-
« fugiebat , aut retardabat motum voluntatis
« naturalis humanae , et motum sensualitatis
« in Christo. Placebat enim Christo secun-
« dum voluntatem Divinam , et etiam secun-
« dum voluntatem rationis ut voluntas natu-
« ralis in ipso , et voluntas sensualitatis se-
« cundum ordinem suae naturae moverentur«.

XV. Praeterea et ex eo connisi sunt adversus Dogma pugnare, quod uno ore Catholici adserebant , naturam nimirum humanam in Christo fuisse sicut instrumentum Divinitatis , quemadmodum Damascenus praesertim scripserat Lib. III. de fid. Orthodox. Cap. IX. Ex quo vafri id effutiebant : *ut instrumenti , et eius qui movet , una est operatio, sic Divinitatis , et humanitatis una itidem est*

*operatio*. Sed hominum scurrilitatem ecquis non videt? Sane enim aliud est loqui de instrumento inanimi, quod agendi principio caret, et sola moventis impressione agitur, ut est securis, ascia, malleus; aliud de substantivo, atque animato, quod propria agendi vi et potestate praeditum est, quodque movetur a causa principali per propriam illius voluntatem, veluti quum per imperium domini movetur servus, utique per propriam voluntatem; cuiusmodi instrumentum est humana in Christo natura, quae movebatur a Verbi persona per propriam ipsius humanae naturae voluntatem, et ut clarius dicam, quae et ipsa propriam exercebat actionem, nec tantummodo principalis caussae motionem excipiebat.

## Sectio VI.

### *Humana Christi voluntas impeccabilis demonstratur.*

I. Postremo opportunum hoc loco est voluntati Christi creatae conglutinatam incommutabilem sanctitatem probare, peccandique impotentiam invictissimam. Quam tractationem paucis exequi volo, ne in argumento omnium exploratissimo incassum consumere videar operam. SANCTUS SANCTORUM et ad hebraicam phrasim SANCTITAS SANCTITATUM praenunciatus est a Daniele Christus ( IX. 24. ); et iuxta vaticinationem constans in eloquio suo Gabriel Angelus, ita Virginem Mariam adfatur ( Lucae I. 35. ) *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te SANCTUM vocabitur.* Posuit autem indefinite *Sanctum* ( ad rem inquit Bernardus Homilia IV. super *Missus est* ) quia quidquid illud sit, quod Virgo genuit, Sanctum proculdubio, ac singulariter Sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem. *Talis enim decebat* ( clamat Apo-

stolus ad Hebraeos VII. 26.) *ut nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus.* Quod ecquis tam perfrictae frontis haereticus inficiari audebit, quum ipse suos adversarios provocaverit Christus (Ioan. VIII. 46.) *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

II. Ergo de Spiritu Sancto conceptus non accidentaria creataque sanctitate sanctus est Christus, sed substantiali. Quid enim aliud est de Spiritu Sancto, seu de Sanctitate Deitatis concipi, nisi substantiam Sanctitatis inexpugnabilem ab ipso originis momento bibere? Quid de fonte gratiae, nisi gratia, quid de incommutabiliter Sancto, nisi incommutabiliter Sanctus, quid de Deo, nisi Deus, cui nihil de Deo usquam desit, concipi potest? Et quia tota Deitatis, tota Trinitatis plenitudo cum Spiritu Sancto adest, quid inde nisi plenitudo Sanctitatis nascatur par est? Concreta igitur, et quasi macerata cum ipsa humana Christi substantia est incommutabilis sanctitas, atque potentissima peccandi impotentia. Quid? concipiuntur ceteri homines non tam de carne, quam de libidine parentis; at non cupiditas viri, sed Charitas Dei, aestuansque amor, mentem

Mariae prius, inde et carnem gravidavit; nam incubans Verbi Dei charitas Spiritus Sanctus, subiiciens flammas animae illius, illam de amore iustitiae foetavit, per illam corpus etiam excivit, et ad seminandam, concipiendam, efformandamque Divinam prolem, solo sanctitatis amore foecundavit. Qui natus hinc est Christus, de iustitia et charitate satus, iustitiae et charitati coalitus, an a iustitiae tramite deviare, an sempiternae iustitiae legi quid adversum quocumque modo, etiam per assumptam voluntatem moliri potest?

III. Porro autem non ad id tantum est carni ipsi a Spiritu Sancto infusa Sanctitas, ut exors illicitarum esset cupiditatum, sed ut ad persananda istiusmodi vulnera praesentissimum etiam foret medicamentum. Unde Augustinus ( Serm. XIV. de Verb. Ap. ) *De Virginis corpore non assumpsit vulnus, sed medicamentum: non assumpsit quod sanaret, sed unde sanaret.* Atque hinc manifestum fit, quod est a Sanctis Patribus persaepe ventilatum, qui non fuerit Christus in lumbis Abrahae a Melchisedeco decumatus, perinde ac Levitae, ceterique eiusdem Abrahae posteri. Ex illis enim Abrahae lumbis traxerunt alii fervorem vulneris, Melchisedeci

sacrificio medicandum : Christus autem inde traxit medicinae ac sacrificii materiam, quo vere peccati vulnera omnia obducerentur. Quo modo igitur decumandus in Abraham erat Christus qui non sic natus erat, ut ceteri nascebantur, per legem scilicet repugnantem legi mentis, et invisibilem concupiscentiam? Quo modo decumandus qui de Spiritu et Virgine non per concupiscentiam carnis natus nullam carnis spiritusque sensit discordiam, quae in hominum naturam ex praevaricatione primi hominis venit? *Nihil enim* ( Sancti Leonis verba usurpo Epist. XI. ) *carnis suae habebat adversum, nec discordia desideriorum gignebat compugnantia voluntatum. Sensus corporei vigebant sine lege peccati; et veritas affectionum sub moderamine Deitatis et mentis.* Quo modo demum erat in Abraham decumandus Christus, cuius caro tam incredibili fuit sanctitatis vi superfusa, ut non tantum non generali contagio afflaretur, sed ut ipsum contagium per illam exsufflaretur?

IV. Praeterea substantiali Sanctitate Sanctum esse Christum hominem ex eo etiam abundantius patet, quod una atque ipsissima sanctitas est, tum qua et Pater, et Verbum, et Spiritus Sanctus, tum qua assumpta co-

ruscat humanitas. Nam Sanctitas qua medullitus, et substantive Sanctus est Christus, ipsamet Verbi Deitas est, quae impermixte commiscetur ei, inconfuse infunditur. Quum igitur Deitas, ipsa sanctitas sit, et essentia sanctitatis, quumque tota Deitate tota Verbi assumpta humanitas ungatur, quis non intelligit hinc principaliter Christi humanitatem sanctificari? Expresse hanc doctrinam Gregorius Nazianzenus tradidit (Orat. XLII.) *Perfectus non modo propter divinitatem, qua nihil perfectius; sed etiam propter humanitatem: unctam Deitate, et idem effectum cum eo quo uncta est, atque ut audacter loquar ομοθεον, id est simul Deum.* Ergo Deitas Verbi, unguentum est, quo humanitas est uncta, infusa, delibutaque; et ita infusa, ut homo Deusque idem, unus Deus esset; quo ex utraque natura unus conflatus est Christus; et ab hoc Chrismate (*unguento*) Deitatis, seu a Deitate Verbi nominatus est CHRISTUS χρυστος *unctus*. Aperte consonat Damascenus Libro III. Cap. III. « Christus « autem nomen hypostaseos dicitur, nec uno « modo dicitur, sed duarum naturarum signi- « ficativum est. Ipse enim seipsum unxit; « ungens quidem ut Deus corpus deitate sua; « unctus autem ut homo. Nam ipse est hoc

« et illud. Siquidem unctio humanitatis est « Deitas ». Et rursus Libro sequenti Cap. XV. » Idem est et qui ungit, et qui ungi- « tur ; ungens ut Deus seipsum ut hominem. » Ergo ipsa sanctitas, ipsa unctio qua uncta est Christi humanitas, ipse unus cum Verbo Christus est.

V. Atque huc collimat Apostolus ( ad Cor. I. 1. ) *Factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio.* Non enim ait quod genitus sit iustitia, et sanctitas, sed factus ; nec quod simpliciter factus sit, sed nobis ; ut abunde appareat ad humanitatem eius haec attinere. Rursum non ait, quod iustus, et sapiens, et sanctus effectus sit ; sed iustitia ipsamet, et sapientia, et sanctitas, quae Divinitatis insignia sunt ipsissima. Igitur Christus homo non sanctus est, sed sanctitas, non iustus sed iustitia, non sapiens sed sapientia, quia sapientia, iustitia, sanctitate Deitatis substantiva formatur. Ex eo autem, quod tota substantialiter sanctitas in Christo sit, ideo scriptum ( Ioan. I. 16. ) *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Siquidem non aliunde delibata, sed intus spontanea scatet ; non superne participatur, sed inferne omnibus se participandam praebet ; non hauriendo exhau-

ritur, non aliis suppeditando minuitur. Ipse Christus, ipse fons, ipse radix. Rursus scriptum est ( Hebr. II. 11. ) *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes*; nempe Christus qui sanctificat, et nos qui sanctificamur, ex uno summo Patre Deo sumus. Et sicut ipse Christus (inquit Origenes Lib. III. in Ep. ad Rom. ) est iustitia, ex qua omnes iusti fiunt; et ipse est veritas, ex qua omnes in veritate consistunt; et ipse vita, ex qua omnes vivunt; ita ipse est lex, ex qua omnes in lege sunt.

VI. At satis adhuc demonstratum est increata sanctitate Sanctam esse Christi humanitatem, modo igitur orationem ad inde manantem emergentemque αναμαρτησιαν impeccantiam convertamus. Sed quorsum hoc, si una eademque et Sanctitatis, et impeccantiae radix sit, Divinitas nempe Verbi, quacum una persona fit? Potius ipsos perpetuae fidei statores Graecos, Latinosque Patres audiamus. Ducat agmen Dionysius Alexandrinus in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum. *Nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse. Nullus enim peccati est expers, nisi solus Christus; sicut et Pater Christi, et Spiritus Sanctus.* Succedit Athanasius Libro de Incarnatione

Verbi Dei : *Impossibile erat alio modo integritatem , et impeccantiam in humanam recipi naturam , nisi Deus in Carne crederetur esse , qui peccati expertem iustitiam , in mundum invexit , cuius participes facti salutem adipiscimur.* Ita et Cyrillus Alexandrinus Lib. VI. in Evangelium Ioannis : *Prorsus fieri nequit , ut in peccatum incidat qui ex Deo prodiit Deus verus. Quippe Christus peccatum non fecit. Nam omne peccatum ex deflexione ab eo quod melius est ad id quod dissimile est , originem accipit , et in eis gignitur , qui natura sua verti possunt , et in ea quae dedecent mutationem capere. Quinam ergo peccare is intelligetur , qui conversionem nescit , neque capax est commutationis in aliquid quod sit disconveniens : sed inconcussus manet in propriis , innatisque bonis , et hoc non aliunde habet , sed a seipso?* Consonant Latini. Ambrosius Apol. David : *Nemo sine peccato , nisi unus Deus. Si igitur non potest non esse Deus , qui Dei Filius est , utique Dei Filius arbiter iustitiae , non est obnoxius culpae.* Et Augustinus Enchir. Cap. XL. *Homo Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem , ut idem ipse esset Filius Dei. Ac sic in naturae humanae susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi*

*homini naturalis , quae nullum peccatum possit admittere.* Itemque Fulgentius Lib. III. ad Trasim.: *Deitas non potest superari. Propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personae Divinitas accepit , quae naturaliter peccare non potuit.* Quibus praeiverat Tertullianus Lib. de Anima : *Solus enim Deus sine peccato, et solus homo sine peccato Christus , quia et Deus Christus.*

VII. Atque huc ipsius Salvatoris nostri spectat testimonium ( Ioan. V. 19. ) *Non potest Filius a se facere quidquam , nisi quod viderit Patrem facientem ; quaecumque enim ille fecerit , haec et Filius similiter facit.* Et item ( Ioan. XIV. 10. ) *Pater in me manens ipse facit opera.* Ergo quaecumque per carnem mentemve , et totam humanitatem assumptam facta dictaque explicuit Deus Verbum , ipse quidem per humanitatem , sed et per ipsum Pater ea explicuit. Viden quam expresse Christus hanc ipse viam praemonstravit firmandae suae impeccabilitatis ? Nam Iudaeorum suspicionibus calumniisque quum impeteretur , non aliunde sibi inexpugnabilius sanctitati suae arcessivit munimentum , quam ab ipsa usque Patris sui sibi insidentis , sibique in eadem opera conspirantis auctoritate.

Porro hic nonnisi operum Christi humanorum caussa vertebatur, in quae nimirum Iudaei calumniandi libidine extimulabantur. Ergo si quidpiam, inquit Cyrillus, quod a iustitiae tramite vel tantillum deviaret, sive per carnem, sive sine carne operetur Christus, iam a Patre suo a se ipso, ab ipsa natura sua, et substantia resiliret. Ergo ecquis Monothelitis restat scrupulus? vel quid est, quod iam metuant voluntati Christi creatae? Sciant inniti illam impeccantiae, et incommutabilitati Patris Dei, qui quum illam eiusque affectus, motusque omnes per Verbum suum ciendos, agendos, regendosque susceperit, ipse eius caussam sustinet.

VIII. At vero quis hic pacato animo ferret summam illam incredibilemque haereticorum impudentiam, sive blasphemantium, sive delirantium: *Si omnia adsumpsit, omnino utique et humanas cogitationes habuit: impossibile est autem humanis cogitationibus non inesse peccatum, quomodo igitur peccati expers fuit?* Nam sive malitiam, sive imperitiam ita obstrepentium homuncionum denudavit Athanasius ( *Lib. de Salutar. Adv. Ch.* ) quod stulti poenam pro natura interpretarentur. Perversarum enim seges cogitationum non ex voluntatis atque animae natura pullulat,

sed ex diaboli satu, et peccati spontanei supplicio. Ait enim Athanasius: *Si vitiosas peccatricesque cogitationes creavit Deus, qua ratione peccantem condemnat? Adamus autem rationalis quidem erat natura, in cogitationibus autem liber, sed inexpertus vitii, solum quod bonum erat, cognoscebat και ὥσπερ τις μονότροπος ὤν. Sed peccatrices, et captivatrices cogitationes superseminavit diabolus rationali creaturae, iam in praevaricatione constitutae, et a Deo divulsae.* Quamobrem illi ipsi naturae quae peccaverat, quae et in peccatum nimio pondere vergebat, inserenda impeccabilitas erat, ut veluti sanitas inexpugnabilis aegris membris, ut ubi morbi caput fuit, ibi sanitatis aperiret scaturiginem: *Ipsemet Dei Filius* (subdit Sanctus Doctor) *supervenit, ut eam in suam naturam restitueret, per novam originem, et genituram admirabilem; non primam distrahens constitutionem, sed insparsam ignominiam detrahens.* Ac propterea Apostolus (ad Rom. V. 20.) *ubi autem abundavit delictum, saperabundavit gratia.*

IX. Nec autem quidquam movere nos debet, quod hominum delicta Christus appellaverit sua: namque id charitatis est argumentum, qua iniquitatum nostrarum sustulit poe-

lens respondeo. Tametsi enim humana Christi natura nihil sit quoad physicam eius conditionem immutata, quoad moralem tamen habitudinem longe se habet postquam in unitatem personae cum Divina natura coaluit. Ex hoc enim factum, ut quum unum sit το ηγεμονικον, sive voluntas gubernatrix, nempe Divina, illius profecto ductum sequi humana voluntas debet, eique semper conformari, quod nullam physicam mutationem in humanam naturam invehit, sed mutationem tantum in eius operationibus moralem.

XI. Insistunt attamen acrius, quod sicut peccatum Divinae Sanctitati repugnat, ita mors Divinae immortalitati. Sed potuit mori Christus, ut homo, quomodo autem et ut homo peccare non potest? Apage! Longe alia est peccati ratio, ac ceterorum defectuum, hi enim etsi divinae perfectioni repugnent, nihil tamen obstat, quominus Deo tribuantur per communicationem idiomatum: quia scilicet Divino supposito tribuuntur alienam tamen naturam terminanti. Neque repugnat Deo eos pati defectus non quidem in sua natura, sed in aliena sibi hypostatice unita. Secus vero dicendum de peccato. Quum enim peccatum proprie sit inordinatio, et iniuria Dei, quam proinde Deus odio persequi debet, non potest, co-

haerere cum hypostatica unione: aliter Deus odisse deberet quod non posset amare, naturam nimirum sibi hypostatice unitam; adeoque hominem Deum, sive filium suum naturalem, et unigenitum. Eiusmodi odium Dei non merentur alii humanae naturae defectus, quorum Deus auctor esse potest, et quorum sola est poenae malitia non culpae, quam solam aversatur Deus, et cuius auctor esse non potest.

XII. Adhuc illud implicatius est, in quo demum ferociunt, quod nisi fuisset in Christo potentia peccandi, non fuisset in eo perfecta libertas, quae posita est in indifferentia voluntatis in utramque partem. Neque eius obedientia Patri fuisset meritoria, nisi potuisset iussa detrectare. Sed de hoc fusius infra et opportuniori loco agemus. Interim uno et altero verbo, quibus difficultatis iugulum impetitur nunc erimus contenti. Nimirum peccandi impotentia Christi libertatem minime laedebat, siquidem peccandi potentia defectus libertatis est, non essentia, quod saepius adversus Pelagianos invicte demonstravit Augustinus, et qui illius solitus est vestigia premere Sanctus Thomas (in II. Dist. XXV. Quaest. 7. art. 1.) cuius haec sunt expressissima verba: « Ad rationem liberi arbitrii non

« pertinet, ut indeterminate se habeat ad
» bonum, vel ad malum, quia liberum ar-
» bitrium per se in bonum ordinatum est,
« quum bonum sit obiectum voluntatis, nec
« in malum tendat, nisi propter aliquem de-
» fectum, quem adprehendit ut bonum: quum
« non sit voluntas, aut electio, nisi boni,
« aut apparentis boni; et ideo ubi perfectis-
« simum est liberum arbitrium, ibi in ma-
« lum tendere non potest, quia imperfectum
« esse non potest «. Et alibi: *Quod liberum arbitrium eligat aliquid, divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis.*

## CAPUT IV.

*De divinae et humanae naturae in aeterno Dei Verbo hypostatica unione adversus Nestorium.*

### SECTIO I.

### *Una in Christo Iesu persona; unus idemque Dei et hominis filius. Ex Scripturis, et Patribus.*

I. Salutis nostrae anchora fides est; fides autem nostra Christo innititur. Ergo si ille merus homo est, et non una verus Deus et verus homo, fides nostra intuta est, quae homini innititur; profana est, quae creaturae non Creatori nos religat; conclamata salus est, quia nulla extra Deum salus est. Sed inclamat initio Evangelii Ioannes: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. . . Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quid splendidius, quid enucleatius, ineluctabiliusque tanto hoc testimonio? Scilicet

ergo Verbum caro factum est non per physicam sui conversionem, nihil enim in Deo converti vel mutari potest: non per moralem sui unionem, eorum enim quae moraliter uniuntur unum non fit alterum; sed per physicam sui unionem; qua una Deus factus est homo, quia manens quod erat Deus, coepit esse, quod non erat, homo. Egregie Sanctus Leo Serm. VII. de Nativ. *Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata: sed quod a Verbo in unitatem personae sit caro suscepta: cuius utique nomine homo totus accipitur, cum quo intra Virginis viscera, Sancto Spiritu foecundata, et numquam virginitate caritura, tam inseparabiliter Dei Filius unitur, ut qui erat intemporabiliter de essentia Patris genitus, ipse sit temporaliter de utero Virginis natus.*

II. Inquit autem de Christo Apostolus (ad Philip. Cap. II.) *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Quo loco qui se exinanivit, ille ipse est, qui Deo Patri aequalis est, atque hoc natura, non usurpatione. « Creata enim res (inquit San-« ctus Cyrillus *Epistola I.*) est nulla, quae

« si propria in natura spectetur, aequalis Patri « esse possit. Quonam igitur pacto exinanitus « esse dicitur, si quum natura sua esset ho- « mo, itidem ut nos ex muliere natus est? » Quanam porro ex antiquiore praestantia, » quae humanum modum excederet, ad hoc » delapsus est, ut homo fieret? Quomodo » denique intelligi potest formam accepisse » servi, quasi antea non habuisset, qui na- » tura sua inter servos censebatur, et servili » iugo erat obnoxius »?

III. Praeterea et clamat Apostolus ( Ep. I. ad Timoth. Cap. II. ) *Unus Deus*, *unus et Mediator Dei et hominum*, *homo Christus Iesus*, *qui dedit redemptionem pro omnibus*. In quem locum dignus qui audiatur Sanctus Hilarius *Lib. XIX. de Trinit.* « Mediator ipse » in se ad salutem Ecclesiae constitutus, et » illo ipso inter Deum et hominem Mediato- » ris Sacramento utrumque unus existens, » dum ipse ex unitis in idipsum naturis na- » turae utriusque res eadem est, ita tamen » ut neutro careret in utroque, ne forte Deus » esse homo nascendo desineret, et homo » rursum Deus manendo non esset ... Hinc » itaque fallendi simplices, atque ignorantes, » haereticis occasio est, ut quae ab eo se- » cundum hominem dicta sunt, dicta esse

» secundum naturae divinae infirmitatem mentiantur: et quia unus atque idem est loquens omnia quae loquitur, de semetipso omnia eum locutum esse contendunt. » Nec sane negamus, totum illum qui eius » manet, naturae suae esse sermonem. Sed « si Iesus Christus et homo et Deus est, et neque cum homo, tum primum Deus, neque » cum homo, tum non etiam, et Deus neque; post hominem in Deo non totus homo, totus Deus, unum atque idem necesse » est dictorum sive sacramentum esse quod » generis. Ubi Hilarius et duarum post incarnationem integritatem naturarum, et unitatem personae expressim asserit.

IV. Sed longum esset huc omnia Scripturarum testimonia corrogare, quae non alium atque alium, sed unum et eumdem esse ostendunt, in quem Divinae et humanae naturae proprietates conveniunt. Quemadmodum est Evangelii illud (Joan. III. 13.) *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in Coelo.* Et Apostoli (ad Galatas IV. 4.) *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Itemque (ad Ephesios IV. 10.) *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut*

*impleret omnia*. Quibus locis, aliisque poene innumeris vel nullo monitore manifestissime adparet, non duos esse, sed unum, qui ambo illa diversa, et contraria suscepit; ut et in coelo esset, et in coelum ascensurus postea foret: et apud Patrem ex aeterno manens, ab eodem missus, homo factus sit, et mortem sustinuerit: ut ipse idem participaret carni et sanguini, et per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum, quemadmodum significavit alibi Apostolus ad Hebraeos.

V. Scripturis accedit Nicoenorum Patrum confessio longe ante Nestorium: *Credimus in unum Dominum Iesum Christum filium Dei, ex Patre natum Unigenitum, idest ex substantia Patris; Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. . . consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, et quae in coelo, et quae in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est, passus est, et resurrexit tertia die.* Ergo hic qui Dei Filius, qui Unigenitus, qui Patri consubstantialis, qui Creator omnium, hic idem descendit, hic carnem assumpsit, hic homo factus est, et passus, et mortuus est, et resurrexit. Qui ita-

que quum unus idemque sit, tu in duos secas?

VI. At vero quae olim fides, eadem semper; eadem Ecclesia, eadem veritas, nullis temporum lapsibus nutans, aut sibi discors. Scrutemur igitur antiquitatem, ut arceatur novitas; sanctissimos maiores nostros consulamus, et confundantur profani. Et primo Sanctus Ignatius Martyr in Epistola ad Ephesios: *Deus noster Iesus Christus*, inquit, *in utero gestatus est a Maria, secundum dispensationem Dei ex semine David*: Et mox: *Convenite in una fide, et in uno Ieru Christo, secundum carnem ex genere David, filio hominis, et filio Dei.* Itemque Sanctus Irenaeus Libro III. Cap. XVIII. apertis Scripturis adstruit, *unum et eumdem esse Verbum Dei, et hunc esse Unigenitum, et hunc incarnatum esse pro salute nostra, Iesum Christum Dominum nostrum.* Excipit Sanctus Dionysius Alexandrinus, qui in Epistola synodica ad Paullum Samosatenum, haereticum hominem exagitat, *duas hypostates, et duas personas asseverantem unius Christi; sive Christos duos, duosque Filios*; quam pravitatem longa atque robusta disputatione dispellit. Et Sanctus Athanasius Libro de Incarnatione: *Sicut homo*, inquit, *persona est una, et animal unum e spirtu, et carne*

*concretum*: *ita Christus intelligi debet unus esse*, *et non personae duae*: *quod recens impietas evidenter invehere conatur.* Demum Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. XXXI. *Non duo factus*, *sed unum ex duobus fieri sustinens*; *Deus enim ambo sunt*, *id quod assumpsit*, *et quod est assumptum. Naturae duae in unum concurrentes non duo filii.* Nec vero Sanctum Cyrillum memoro, qui ex professo Dei et hominis unitatem in Christo, non essentiae, sed personae, contra Nestorium invicte in omnibus libris adprobavit.

VII. Ex Latinis Patribus Tertullianum in primis eiusdem dogmatis suffragatorem profero, quippe in calce Libri *de Carne Christi* in illa Paulli verba intendens, *Unus Dominus Iesus Christus*, ita in rem nostram inquit; *Definiens ipsum quoque Christum unum*, *multiformes Christi argumentatores quatit*, *qui alium faciunt Christum*, *alium Iesum*; *alium elapsum de mediis turbis*, *alium detentum* cet. Nec minus egregie Catholicae veritati adstipulatur Sanctus Ambrosius *Lib. de Incarnatione cap. V.* hanc generalem adversus haereses omnes ostentans fidem: Quia Christus est Dei Filius, et sempiternus ex Patre, et natus ex Virgine. Quem quasi gigantem Sanctus David Propheta describit, eo

quod biformis geminaeque naturae unus sit consors divinitatis, et corporis; qui tamquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit ut gigas ad currendam viam: Sponsus animae secundum Verbum: Gigas terrae quia usus nostri officia percurrens, cum Deus semper esset aeternus, Incarnationis Sacramenta suscepit, non divisus, sed unus; quia utrumque unus et unus in utroque, hoc est, vel divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine. Generatio generationi non praeiudicat, nec caro Divinitati.

VIII. Ita quoque beatissimi Patres Hieronymus, et Augustinus, ut ceteros mittam, quos hoc loco testes citare supervacanea res esset. Hieronymus quidem *in Cap. I. Epist. ad Ephesios*: » Benedictus Deus eius qui as» sumptus est hominis, et Pater eius qui in » principio apud Deum fuit Deus Verbum. » Non quo alius assumptus homo, et alius » sit Sermo, qui assumpserit: sed quo unus » atque idem, pro veritate causarum, nunc « sublimis, nunc humilis praedicetur ». Augustinus vero *Lib. de Corrept. et Gratia Cap. XI.* » Deus naturam nostram, idest, » animam rationalem, carnemque hominis » Christus suscepit, susceptione singulariter

» mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nul-» lis justitiae suae praecedentibus meritis, « Filius Dei sic esset ab initio quo esse ho-» mo coepisset, ut ipse et Verbum quod si-« ne initio est, una persona esset «.

IX. Quid at id, quod impius veritatis transfuga Joannem Joanni opponit, moralemque Verbi cum carne coniunctionem, ex Ioannis Evangelio adstruat (Cap. II. 19.) *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud... ille autem dicebat de templo corporis sui?* Ergone huiusmodi inter Divinitatem et humanitatem Christi intercedit coniunctio, quae inter habitatorem, et domicilium, inter sedentem, et sedem? Vah qui in tantum deliras stolide? Vel quis enim unus ignorat Christum per metaphoram corpus suum adpellasse templum ut Iudaeis futuram sui corporis dissolutionem per mortem, eiusque post triduum a mortuis resurrectionem praediceret? Scilicet enim id templum Christus inhabitabat per animam sibi hypostatice unitam; dissolvendumque id ipsum erat, anima ab eodem in triduo mortis separata, quin tamen divinitas ipsa a corpore separaretur, uti fusius suo loco explicabimus. Sed saltem poterat ab ista argutatione abstinere subdolus homo, quod etiam corpus nostrum comparate ad rationa-

lem animam, et domus, et tabernaculum ab Apostolo dicitur ( II. ad Cor. V. 1. ) *Si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur* cet. Et mox : *Nam et qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati.* Dicam amplius; urget haereticus templi rationem in Christo, cur non et formae item urget rationem, secundum id quod scriptum est : *qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus?*

X. Video non dum omnem Nestorii exhaustam impudentiam. Sinamus igitur libere hominem loqui, et videamus quid putulenti aliud de scrobe malesani ingenii proferat. Christus perfectus homo est; perfectio autem hominis ubi est, si natura humana nequaquam per se subsistat? Imo si natura illa propria caret subsistentia, quomodo est vere proprieque substantia? Ex adverso, quum humanitatis substantia in Christo una sit, quemadmodum una est in quovis naturae humanae individuo; profecto habet subsistentiam suam, rationemque personae, quum ex Boetio nihil haec sit aliud quam *rationalis naturae individua substantia.* Quid? natura subsistens utique humana Christi est, et actu substantia, nec

tamen est persona, quia in alio subsistit, scilicet in Verbo, nec ipsi tamquam accidens inhaeret. Actu enim propriaque vi reipsa subsistere non pertinet ad essentiam substantiae, sed tantum ut sit per se subsistendi capax, si sibi relinqueretur. Insignis est ac plane peremptorius in hanc rem S. Joannis Damasceni locus *Lib. III. de Fide Orthodoxa Cap. IX.* Quamvis non sit natura ulla quae non subsistat, neque substantia, quae non sit persona, siquidem in hypostasibus et personis substantia, et natura spectatur; non tamen necesse est naturas inter se hypostasi copulatas, propriam obtinere singulas hypostasim. Possunt enim in unam hypostasim concurrentes, neque non subsistentes esse, neque propriam unaquaeque hypostasim habere: sed ambae unam et eamdem. Eadem quippe Verbi hypostasis, ambarum facta naturarum hypostatis, neque subsistentiae quampiam illarum expertem esse sinit: neque tamen diversa ad se invicem hypostasi patitur subsistere. Sed nec alias istius, alias illius: sed semper ambarum, citra divisionem ac separationem hypostasis est, non partita, nec divisa; neque partem suimet huic, partem alteri tribuens, verum tota hujus, et tota illius, pro indiviso est, et inte-

gre. Non enim propria vi consistens Dei Verbi caro substitit, nec altera facta est hypostasis, praeter hypostasim Dei Verbi: sed in ipsa subsistens ad hypostasim magis adiuncta, quam proprio modo consistens hypostasis est facta. Ideo non diversam in Trinitatem hypostasim inducit. Vide quam diserte subactissimus Theologus naturam humanam Christi negat esse ανυποστατον, id est *non subsistentem*, et tamen ιδιοσυστατον, sive ιδιουποστατον non esse fatetur, hoc est *proprio subsistendi modo non constare*; sed in alio, et alieno modo subsistere, quod ετερουποστατον, appellat.

## Sectio II.

## *Hypostatica Verbi unio cum humanitate in utero Virginis ipso conceptionis momento facta.*

I. E vestigio ad alteram Nestorianae haeresis partem damnandam nostra convertitur oratio. Blasphemabat enim impius haereticus perfectum hominem prius extitisse, quam in eum Dei Filius illaberetur; ex quo et tertium impietatis suae surculum ducebat, simplicem tantum hominem de Maria natum, ideoque Virginem Beatissimam non θεοτοκον, sed Ανθρωποτοκον adpellandam. Sed de hoc inferius; nunc primum illud ex fide Catholica conficiamus, humanam naturam eo ipso momento existere coepisse, quo est a Verbo suscepta. Quam rem momentosam sane, ac plane fundamentalem haud expressius evincere in animo est, quam ipsis Patrum sententiis, ut una et traditionem habeas, et in traditionis veriloquio, doctrinae veritatem teneas. Augustinum primum omnium audiamus Contr. serm. Arian. Cap. VIII. *Ipse namque*

*unus Christus est, et Dei Filius semper natura, et hominis Filius, qui ex tempore assumptus est gratia. Nec sic assumptus est, ut prius creatus, post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur. Ac per hoc propter istam unitatem personae in utraque natura intelligendam.* Ergo vide ex Augustino, non prius in se constitisse substitisseque separatim humanitatem, et postea assumptam, sed in ipso sui conditu in ipsa sui creatione: ipsoque momento assumptam.

II. Paria Fulgentius habet *Lib. de Fide ad Petrum Cap. II.* » Quibus autem verbis » explicabitur carnis illius excellentia singu» laris; cuius divina est ex ipsa sui conce» ptione persona, cuius origo nativitatis in» solita, quae sic Verbum caro factum est; » ut una persona esset cum carne sua unige» nitus ac sempiternus Deus, ipsa suae car» nis conceptione conceptus «? Et adhuc clarius iterum in *Lib. de Incarn. et grat. Cap. IV.* » Non est igitur aliquod intervallum » temporis 178. V. aestimandum, inter con» ceptae carnis initium, et concipiendae ma» iestatis adventum. Una quippe fuit in ute» ro Mariae Virginis conceptio Divinitatis, et » carnis, et unus est Christus Dei Filius in » utraque natura conceptus, ut maculam vi-

» tiatae propaginis inde inciperet abolere ; » unde in unoquoque nascentium videbatur » existere«. Sed omnino egregie rem edisserit Gregorius Magnus *Lib. XVIII. Moral. cap. XXVII.*« Non purus homo conceptus, atque » editus, post per meritum, ut Deus esset, » accepit. Sed nunciante Angelo, et adve- » niente spiritu, mox Verbum in utero, mox » intra uterum Verbum caro : et manente in- » commutabili essentia, quae ei est cum Pa- » tre, et cum Sancto Spiritu coaeterna, as- » sumpsit intra virginea viscera, unde et im- » patibilis pati, et immortalis mori, et ae- « ternus ante saecula, temporalis posset esse » in fine saeculorum ».

III. Excipit Sanctus Leo *Serm. VIII. de Natal. Dom.* » Partum Beatae Virginis inte- » gre cogitemus, ut carni, animaeque con- » ceptae virtutem Verbi nullo temporis pun- » cto defuisse credamus ; nec prius formatum, » atque animatum templum Corporis Christi, » quod sibi superveniens vindicaret habitator; » sed ipsum, et in ipso, novo homini da- » tum esse principium. Cassianus in eumdem sensum *Lib. II. de Incarnat. Cap. VI.* » Om- » nis in ipsa statim hominis conceptione Dei » virtus, omnis Divinitatis venit plenitudo ..

» Neque enim umquam sine Deo fuerat homo » ille ».

IV. Ferrandus quoque Carthaginiensis Diaconus in *Epist. ad Severum*: Non hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam vel in matris utero vivere iam incipientem Deus assumpsit, sed omnino antequam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati formandive hominis causam; Deus volens homo fieri, virginalis palatium ventris intravit; et virtute divinitatis munus largiens foecunditatis, adsumpsit ex ea, quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem: Et ipsa adsumptione conceptus, et natus, non utique personam aliam suscepit, quia non hominem paratum invenit; sed naturam humanam, in qua Deus ipse homo nasceretur, accepit. Habuit igitur humana natura, ex quo est creata personam, sed unam cum Deo, qui eam suscipiendo creatus est. Tu proinde quisquis huic fidei contradicis, ostende mihi in Christo sine divinitate aliquando humanitatem, et tunc fatebor quod habuerit propriam etiam sola humana natura personam. Quia vero divinitas quidem Verbi Dei sine humanitate fuit, humanitas vero sine divinitate numquam fuit, ideo ha-

buit divina natura personam, quam humanae naturae quando eam suscepit, indulsit.

V. Hugo Victorinus Apolog. de Verb. Incarn. Coll. II. *Propterea persona assumpta non est, quia anima et corpus antequam Verbo unirentur in personam, non erant inter se unita ad personam. Idcirco quia assumpta non sunt unita, non sunt assumpta persona: quia vero in eo quod assumpta sunt, unita sunt, in personam assumpta sunt.* Et paullo post: » Sicut anima rationalis et caro » ideo non sunt assumpta persona, quia ante » te assumptionem non habuerunt unionem; » sed assumpta in personam; quia ex eo uni- » ta sunt, quod assumpta sunt: sic et ani- » ma rationalis ideo assumpta non est perso- » na, quia ante unionem Verbi sicut per se » esse non habuit, ita persona esse non ha- » buit. Ex quo enim coepit, uniri coepit; » et ex quo fuit, unita fuit; ex quo autem » unita fuit, una cum eo cui uniebatur per- » sona fuit ».

VI. Venio ad Graecos. Athanasius *Lib. de Incarnat.* contra Apollinarem: » Carnis adu- » natio cum divinitate Verbi, ex utero facta » est. Inde enim Verbum illam excitavit ad- » veniens e coelo, non quidem eiusmodi, ut » ante Verbi adventum extiterit ». Et Epi-

» phanius *Haer. LXXVII.* Non habemus » hominem eiusmodi, qui ad provectum di- » vinitatis venerit: sed Deum qui e coelo « descendit, et in seipsum suam sibi huma- « nitatem pro eo ac potens est ipsius Divi- » nitas effinxit. Ideo Scriptura dicit: Verbum » Caro factum est. Ideo enim dixit Verbum » Caro factum est, ne aliqui forsitan putent, « primum extitisse hominem, in eumque po- » stea venisse Christum. Idcirco Sanctum » Evangelium primo loco Verbum posuit, » deinde ita de carne professum est, Ver- » bum caro factum est. Non enim dixit Ca- » ro Verbum facta est, ut ostenderet primum » Verbum e coelo venisse, et in seipsum » carnem e sanctae Virginis utero procreas- » se, atque omnem perfecte naturam homi- » nis in seipsum formasse ».

VII. Non minus egregie Basilius *Hom. XXV.* » Quod in ipsa est, de Spiritu San- » cto est. Hinc enim deprehendi licet, quod » non secundum communem modum carnis » constitutio Domino fuit. Conceptum nam- » que illico perfectum fuit, non per inter- » valla paullatim formatum, ut plane ea ver- » ba declarant. Non enim dicit: quod in ea » conceptum est, sed quod in ea natum est. » In sanctitate namque caro conglutinata, di-

» gna quidem unigeniti divinitati coniungi « fuit«. Viden praeclare quantum id perstringat Basilius, quod non caro Deitatem exspectavit, non segregatim a Deitate vel pausillulum constitit humanitas, sed praecucurrit Deitas, ut efficiens, ut sustentans, et humanitatem suam suis ipsa manibus, suo in ipsius hypostaseos gremio sibi adfabricavit. Quo collimat et Ferrandi locus paullo ante recitatus, quod anteiverit carnem concipiendam Deitas, quia non aliter Virgo conciperet, nisi virtus divinitatis munus largiretur foecunditatis; non quocumque modo, sed viam seminis ipsa subiens.

VIII. Nazianzenus Epist. I. ad Cledonium: *Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnationis obnoxius est. Hoc enim non Dei generatio est, sed generationis fuga.* Tum Cyrillus Alexandrinus Epist. II. ad Nestorium: *Non enim primum homo genitus est communis e Sancta Virgine, atque ita demum Verbum in eum est illapsum: sed ex ipso utero copulatum, carnalem generationem sustinuisse dicitur.* Et Damascenus *Lib. III. de Orthodoxa fide Cap. II.* » Obumbravit ei sapientia et virtus » Dei altissimi in propria subsistens hyposta- » si, filius Dei Patri consubstantialis, velut

» Divinum semen. Et construxit sibi ipsi ex
» castis et purissimis sanguinibus carnem ani-
» matam anima rationali, et intellectuali, pri-
» mitias nostrae conspersionis, non cum se-
» mine, sed creando per Spiritum Sanctum;
» non paullatim per additamenta expleta fi-
» gura, sed uno contextu absoluta. Ipsum
» autem Dei Verbum carni hypostasis est.
» Non enim prius subsistenti per seipsam
» carni unitum est Dei Verbum, sed sanctae
» inhabitans Virginis uterum modo incircum-
» scripto, in sua ipsius hypostasi ex purissimis
» sanguinibus Mariae semper Virginis carnem
» animatam anima rationali, et intellectuali sub-
» sistere fecit«. Ergo ex Damasceno, ne umquam,
ne vel puncto temporis segregata, et seorsim
esset a Deitate humanitas, eam Verbum Divinum suae in personae gremio efformavit, formandoque sibi superstruxit; adeoque uno momento totum opus absolvit: nec enim praeludia naturae nostrae, sed naturam integram sustentare sua hypostasi dignabatur.

IX. Sexta Synodus *Act. XI.* » Incarnatur
» Verbum Deus penes nos, non prius effictae
» carni copulatus, aut praeformato, atque in
» se se praesubsistenti aliquando corpori im-
» plicatus, aut praeexistenti animae compo-

» situs, sed his tunc ad existentiam venientibus quando ipsis Verbum Deus compositus est. Naturaliter coaevam habentia ipsis existentiae unionem, et non ante suam cum Verbo verissimam copulationem per seipsa umquam fuere, aut cuiusquam alterius hominis extiterunt, sed coaetaneam habentia cum Verbi unione existentiam, non vel quantum ictus est oculi, anteriorem; ut Paulus Samosatenus, et Nestorius obstrepunt. Simul enim caro, simul Dei Verbi caro fuit. Simul animata rationaliter, simul Dei Verbi caro animati rationaliter ». Vide sedulo quantum id urgeant Patres, nec puncto temporis unioni cum Verbo carnem praeisse, vel prius animae quam Verbo unitam esse; alioqui tota incarnationis oeconomia, atque personae unitas labefactaretur. Scilicet ex unione carnis et animae persona emergit humana. Ne autem persona huiusmodi humana conflaretur in Christo, non seorsim, sed in Verbo et cum Verbo simul et semel facta est corporis animaeque unio, ut non corpus fieret animae, sed corpus et anima fierent Verbi. Nam si corpus fieret animae, nec anima fieret cuiusquam alterius, tum persona ea foret humana, at ubi et corpus, et anima fiunt Verbi, persona Verbi involvuntur.

X. Atque haec satis sint, ut conspiratissimam habeas Patrum auctoritatem, qui adstipulatione unanimi, vim et rationem omnem unionis hypostaticae hoc veluti cardine verti docuerunt, quod non prius per se consistens homo, et seorsim a Verbo discretus, Verbo posthac copulatus sit, sed praeexistens Verbum carnem rationali anima vegetatam sibi creavit; et creando adglutinavit. Adeò nimirum inconcusse tenuerunt, humanitatem vel ideo Personae Divinae accenseri, quod a Divinitate nec ad momentum, nec ipso sui exortus primordio sit segregata. Quorum autem testimonia vel ideo congessimus, tum ut clarissimorum testium consensu veritas magis elucesceret, tum vero ut ex iis, quae Sanctissimi Maiores nostri adversus Nestorii pravitatem protulerunt, abunde habeat quisquis, unde Nestorianorum cavillationes retundere.

## Sectio III.

*Beatissima Virgo Maria vere proprieque dicenda MATER DEI. Quam magni momenti id nomen. Quam antiquus usus. Scripturae, Patres, et Concilia proferuntur.*

I. Postremo id reliquum est, ut adversus Nestorianam impietatem evincamus, Beatissimam Virginen vere proprieque Θεοτοκον *Deiparam* esse adpellandam. Cuius quidem disputationis huc demum cardo vertit: sit ne vere Deus conceptus, ac genitus in utero Virginis. Quod ubi Scripturarum ineluctabili auctoritate constabit, peracta res erit.

II. Principio autem, quem et Λογον *Verbum*, et *Deum* aperte praedicavit in Evangelio Ioannes, eumdem subinde *Carnem factum* prodit; quod sane intelligi secus non potest, nisi vera ac propria illius fuerit caro. Hoc autem quum in Maria, et per Mariam Spiritus Sanctus administraverit, utique a Maria carnem illam sumpsisse Verbum, tenendum est; a Maria inquam ex qua conceptum est,

et generationem, et nativitatem habuit. Porro hic idem Dei filius, qui et ab aeterno de Patre Deo, et cum Patre Deo extitisse ab Ioanne in Evangelio proditur, et per quem omnia fecisse Patrem, et ipsa etiam saecula Scripturae testantur, hic *factus ex semine David secundum carnem* ab Apostolo dicitur ( Ad Rom. 1. ). Quod si carnem ex Virginis substantia Dei filius non sumpserit, et nisi vera sit generatione natus ex Virgine; quomodo factum eumdem *ex semine*, id est ex stirpe Davidis, teneamus? Sane hanc Dei ex Virgine generationem Isaias praedixerat, et uti est ante tempus prophetata, ita et in tempore completam Matthaeus in ipso Evangeli ingressu proclamat: *Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, hoc est nobiscum Deus.* Cui et ipsum de coelo prolapsum testimonium accedit ( Luc. 1. 35. ) *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.* Succinitque Apostolus ( Ad Galat. IV. ) *Misit Deus filium suum factum* ( Graece *γενομενον* genitum ) *ex muliere.* Si igitur ex irrefragabili Scripturarum auctoritate Deus est, qui a Virgine conceptus, in utero portatus, ac genitus est; profecto Virgo quae Deum concepit, in utero habuit, propagavit, peperit, vere **MATER DEI** est.

III. Scilicet ergo, et Virginis foecunditas et Dei nativitas, et hominis Divinitas indissociabili nexu cohaerent; nec nisi ad unum hoc revocantur caput, quod Omnipotentia insuperabilis Verbi ex carne Mariae, carnem sibi suae in personae sinu efformavit, atque ut suam carnem animatam sibi vindicavit, eoque suae coadunavit personae. Quid miraris hinc Virginem foecundatam, quum videas Deum incarnatum? quid reluctaris *Matris Dei* nomen, si non reluctaris Dei hominis nomen?

IV. Sed ne plura. Consulamus antiquae fidei testes Maiores nostros, tum qui Ephesinum Concilium praecesserunt, veritatis adstipulatores locupletissimos; tum qui sequuti sunt, strenuissimos adsertores, ut quibus illi armis Catholicum Dogma adversus Nestorium vindicaverint, probe noscamus. Operae pretium enim facturum me duco Cyrilli Alexandrini vestigia premere, qui priscos Patres ad confundendam profanorum novitatem in medium produxit in *Libro de Recta Fide*. Simul atque enim dixerit *Cap. IX. Porro autem vocem hanc DEIPARA, veteribus Patribus, quorum sanctitatem, et fidei integritatem admiramur, nec non omnibus, qui eos deinceps huc usque sunt sequuti per universum, ut ita dicam, terrarum orbem,*

*familiarem esse demonstrandam existimavi*; tum e vestigio subiicit Patrum eorumdem testimonia, Sancti Athanasii nimirum, Attici Constantinopolitani Episcopi, Antiochi, Amphilochii Episcopi Iconiensis, Ammonis Episcopi Hadrianopoleos, Ioannis Chrysostomi, Severiani Gabalorum Episcopi, Vitalii Episcopi, et Theophili Alexandrini. Quorum et summam auctoritatem, ac totius Ecclesiae fidem iterum iterumque contra Nestorium urget in Epistola ad Acacium Episcopum Berooensem, subditque. *Denique nemo, arbitror, ex Orthodoxorum numero illam Deiparam nominare dubitavit; quandoquidem verum est, Emmanuelem Deum esse. Erunt itaque anathemate constricti Sancti Patres, qui iamdudum ante ad Deum evolarunt, ceterique omnes quotquot; Christum Deum esse, confessi, recta veritatis dogmata consectantur?*

V. Age igitur, ab ipso aevo Apostolico filum ducamus, sitque omnium primus Sanctus Ignatius Martyr in *Epist. ad Ephesios*: *Unus est medicus carnalis, et spiritualis, factus, et non factus, qui in carne fuit. Deus in immortali, veraque vita, et ex Maria, et ex Deo*; nimirum idem ille, qui Deus genitus et natus erat ab aeterno, et

ἀγέννητος non factus, iterum γέννητος genitus est, et factus ut homo esset, et in homine Deus. Hinc S. Iustinus Martyr in *dialogo cum Tryphone* : *Christus prius extitit filius conditoris omnium, ac Deus, qui genitus est homo per Virginem.* Et S. Irenaeus *Adv. Haeres. Lib. III. Cap. XXXI.* qui priorem illam generationem in vitium prolapsam ex eo instauratam ait, quod Verbum aeternum de Virginis substantia formatum est, quemadmodum de terrae substantia fictus est Adamus : *Verbum, inquit, existens ex Maria, quae adhuc erat Virgo, recte accipiebat generationem Adae recapitulationis. Si igitur primus Adam habuit patrem hominem, et ex semine viri natus est, merito dicerent, et secundum Adam ex Ioseph esse generatum. Si autem ille de terra quidem sumptus est, et Verbo Dei plasmatus est, oportebat idipsum verbum recapitulationem Adae in semetipsum faciens, eiusdem generationis habere similitudinem. Quare igitur non iterum sumpsit limum Deus, sed ex Maria operatus est plasmationem? Ut non alia plasmatio fieret, neque alia esset plasmatio, quae salvaretur, sed eadem ipsa recapitularetur servata similitudine.*

VI. Succedit Sanctus Episcopus et Martyr

Hippolytus apud Theodoretum Dialogo I. *Verbum enim erat Dei primogenitum, e coelo in Virginem delapsum, et homo primogenitus in utero formatus.* Et S. Dionysius Alexandrinus in Epistola contra Paullum Samosatenum: *Quinam tu dicis hominem eximium Christum, et non Deum verum existentem, et adoratum ab universa creatura cum Patre et Spiritu Sancto, incarnatum e Sancta Virgine, et Dei Genitrice Maria?* Et mox: *Iam olim habitabat in iis, in quibus plures inventae sunt matres. Sed una sola Virgo filia vitae, genuit vivens Verbum, et subsistens.*

VII. Commemorandus nunc S. Athanasius *Orat. IV. contr. Arianos*: « Itaque Divinae « Scripturae scopus iste est, et formula pro- « pria, ut duplicem agnoscamus in ea de « Salvatore loquendi rationem; Nimirum tum « filium fuisse semper, et esse Deum; qui « sit Verbum, et Splendor ac Sapientia Pa- « tris; tum postea propter nos eumdem il- « lum assumpta carne de Virgine Dei Geni- « trice Maria, hominem esse factum ». Ita et Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi IV.* « Crede hunc Unigenitum Dei « filium propter peccata nostra e coelo in « terram descendisse; et assumpsisse iisdem

« nobiscum subiectam affectionibus humani-
« tatem; et ex Sancta Virgine ac Spiritu
« Sancto esse genitum ». Et *Catechesi XII.*
« Crede illum ipsum Dei unigenitum filium
« ex Virgine iterum esse genitum ». Post hos Beatissimi Patres veniunt Basilius, et Gregorius Nazianzenus, quorum ille *Hom. XXV. de hum. Christi Gener.* hic vero *Epist. I. ad Cledonium* Beatam Virginem Mariam ΘΕΟΤΟΚΟΝ adpellant. Hinc S. Ioannes Chrysostomus *Hom. II. in Matth. Valde auditu mirum et inusitatum est, Deum inaccessum, et ineffabilem, et qui mente comprehendi nequit, ac Patri aequalem, per uterum venisse Virgineum., et ex muliere gigni voluisse; et habere stirpis auctorem Davidem, et Abrahamum.* Mitto autem heic Episcopos Amphilochium Iconiensem, Atticum Constantinopolitanum, Ammonem Hadriopolitanum, Theophylum Alexandrinum, tum et Antiochum, et Severianum, qui item θεοτοκον DEI GENITRICEM Beatam Virginem dixerunt. Horum enim testimonia posuit S. Cyrillus Alexandrinus in *Libro de Recta Fide* (*).

(*) At piaculum heic prope ducerem, antiqui marmoris Epigramma praeterire, quod Constanti-

VIII. Unum his dumtaxat addam Sancti Joannis Damasceni locum *Lib. III. Cap. XII.*

---

nopoli in templo Sophiano ad Sacram Mensam ex voto posuit Iustinianus Imp. et Theodora Augusta, quo magnifice quantum nostra illustratur traditio:

TA . ΣA . EK . TΩN . ΣON . ΣOI . ΠPO-
ΣΦEPO
MEN . OI . ΔOTΛOI . ΣOT . XPIΣTE
IOTΣTINIANOΣ . KAI . ΘEOΔOPA
A . ETMENOΣ . ΠPOΣΔEΞAI . TIE
KAI . ΛOΓE . . TOT . ΘEOT . O ΣAP.
KΩΘEIΣ . KAI . ΣTATPΩΘEIΣ
TΠEP. HMΩN : KAI : HMAΣ . EN
TH . OPΘOΔOΞΩ . ΠIΣTEI
ΣOT . ΔIATHPHΣON . KAI . THN
ΠOΛIΘEIAN . HN . HMIN . EPIΣTE
TΣAΣ . EIΣ . THN . IΔIAN . ΣOT
ΔOΞAN . ATΞHΣON . KAI . ΦIΔA
ΞON . ΠPEΣBEIAIΣ . THΣ . AΓIAΣ
ΘEOTOKOT . KAI . ΠAPΘENOT
MAPIAΣ .

Quod latine sic vertas;

*Tua de tuis tibi offerimus servi tui Christe Justinianus et Theodora. Ea tu propitius accipe, fili Dei Verbum, qui nostri caussa carnem adsumsisti*

« Hoc nomen totum Incarnationis commen-
« dat Mysterium. Et γαρ θεοτοκος η γηννησασα.
« nam si Dei Genitrix est ea, quae genuit;
« prorsus Deus est quem illa genuit: sed

---

*et Cruci adfixus fuisti;*
*ac nos in recta tui fide conserva.*
*et quam nobis commisisti Rempublicam*
*eam ad tuam gloriam auge, ac tuere*
*Intercedente Sancta DEIPARA, et semper*
*Virgine Maria.*

Inscriptionem sane insignissimam praeter Cedrenum *Comp. Hist. tom. VII. n.* 156, Clarissimus Fortaninius produxit in *Disco Christ. Cap. IX. p.* 20. ac demum Muratorius *Thes. Inscript. p. MDCCCXCV. I.* Plura si aveas de hac mensa, confer Cangium in Paulli Silentiarii descriptionem Sanctae Sophiae n. LIII. p. 567.

Extat et Romae hanc in rem inscriptio altera in Porticu Basilicae Cosmediensis ad laevam ianuae primariae, quam et heic damus:

*de don*IS. DEI. ET. SCE. DI. GENITRICIS
MVN*us* D͞O͞M. ADRIANI: PAPE
EGO. GREGORIUS NO*tarius*.

Marmor Cl. Fontaninius ad saeculum VIII. pertinere contendit, ad Adrianum I. nempe, qui Stephano IV. Pontifici suffectus anno DCCLXXII.

« idem homo etiam est omnino. Qui enim » ex muliere generatus Deus, qui ante sae« cula extitit, nisi homo fiat? Siquidem fi« lius hominis utique est homo. Quod si « idem ex muliere natus, Deus est; unus » erit nimirum ex Deo Patre genitus secun« dum divinam, et initio carentem substan« tiam, et extremis temporibus natus ex Vir« gine, secundum eam substantiam, quae « initium habuit, et est subiecta tempori, » videlicet humanam. Haec autem unam hy« postasim, et naturas duas, totidemque ge« nerationes exprimit Domini nostri Iesu « Christi ».

IX. Ad Latinos venio. Regulam fidei Tertullianus prodit *Lib. de Praescript. Cap. XIII.* « Regula est fidei, ut iam nunc quid creda« mus, profiteamur; illa scilicet qua credi-

---

Accedit ad traditionem propositam et marmor Civitatis-Castellanae sub atrio Sacrae aedis Episcopalis prope Fontem Baptismalem apud eumdem Fontaninium in Disco Christ. Cap. XII. p. 33.

✠ BEATA . DI . GENETRIX
SEMP. VIRGO MARIA
DE TVA . TIVI . DONA
LEO . INDIGNUS EPC ec.

quod ad annum Christi DCCCLXXI. pertinere, ipsa docet epigraphes.

« tur unum omnino Deum esse, nec alium
« praeter mundi Conditorem, qui universa
« de nihilo produxerit, per Verbum suum
« primo omnium emissum. Id Verbum filium
« eius appellatum, in nomine Dei varie vi-
« sum Patriarchis, in Prophetis semper au-
« ditum. Postremo delatum ex Spiritu Dei
« Patris, et virtute in Virginem Mariam,
« carnem factum in utero eius, et ex ea
« natum hominem, et esse Iesum Christum ».
S. Cyprianus Lib. II. Testim. advers. Iudaeos: *quod hoc futurum esset signum nativitatis eius, ut de Virgine nasceretur homo, et Deus, hominis et Dei filius.* Lactantius item Lib. IV. Instit. Divin. Cap. XII. *Descendens itaque de coelo Sanctus ille Spiritus Dei, Sanctam Virginem, cuius utero se insinuaret, elegit. At illa Divino Spiritu hausto repleta concepit.*

X. S. Hilarius Lib. IX. de Trinit. *Natus igitur Deus ex Virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem.* Iulius Firmicus Lib. de error. profan. Relig. Cap. XXVI. *Ex genere Abrahae descendens Maria Virgo Deum concipit.* S. Ambrosius Libro de Incarnat. Cap. V. *Non enim alter ex Patre; alter ex Virgine*; *Generatio generationi non*

*praeiud cat.* S. Hieronymus Lib. contr. Helvidium. *Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus.* S. Augustinus *Serm. XV. de serp.* » Concipiens Virgo, pariens » Virgo, Virgo gravida, Virgo foeta, Virgo » perpetua. Quid miraris haec, homo? De» um sic nasci oportuit, quando esse di» gnatus est homo. Talem fecit illam, qui » est factus ex illa . . . Fecit sibi matrem, » cum esset apud Patrem : et cum fieret ex » matre, mansit in Patre ». Et paucis interpositis: « Quomodo in regula fidei confitere» mur nos in filium Dei, qui natus est ex « Virgine Maria? Quis enim Christianus ne» get ex illa foemina filium hominis natum, « sed tamen Deum hominem factum, et ita » hominem Deum factum.

XI. Sed iam adpropinquamus ad Concilium Ephesinum. Audiamus igitur Proclum Cyzicenum Episcopum in *Oratione*, quam habuit initio Ephesinae Synodi. » Sacra DEIPARA Maria in unum nos coegit. Haec illibatae Virginitatis purus ille thesaurus, decusque et ornamentum. Haec spiritalis secundi Adami paradisus. Haec unitarum inter se naturarum officina. Haec salutaris reconciliationis panegyris. Haec thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsavit. Haec

animatus naturae rubus, quem divini partus ignis non combussit. Haec vere levis illa nubes, quae super Cherubim sedentem in corpore suo gestavit. Haec vellus mundissimum coelesti pluvia madens, ex quo Pastor ovem induit. Haec ancilla est, et Mater, Virgo, et Coelum. Haec sola pons est. per quem Deus ad homines descendit. Haec admirandae illius Oeconomiae tela, in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius unitionis tunica confecta est, cuius quidem textor extitit Spiritus Sanctus; nutrix, virtus ex alto obumbrans, lana vetusta Adami pellis; trama impolluta Virginis caro; radius textorius, immensa gestantis gratia; artifex Verbum per auditum illapsum. Quis vidit, quis audivit talia? Incircumscriptus Deus uterum inhabitat; quem coeli non capiunt, venter non coangustavit Virginis ».

XII. Consistamus autem heic pausillulum, iam enim ad Sanctum Cyrillum Alexandrinum devenimus, qui adversus Nestorium irrequietus certavit. En ut is haereticum hominem affatur. *Lib. II. adv. Nestor.* » At tu me-» tuere te simulas, ne quis e nobis suspice-« tur, illud ex Deo genitum Verbum a car-» ne terrena existentiae initium habuisse: ac » funditus tollis dispensationis, in carne my-

» sterium, cum sanctam Virginem esse a no» bis Dei Genitricem adpellandam negas . . . .
» Si proprium corpus eius intelligitur, quo» modo non prorsus proprii corporis nativi« tatem sibi tamquam suam vindicabit, et
« asseret? sed hanc hominum ita credentium
« rectam sacramque fidem etiam ipse probas« ses, si tibi ipse persuadere voluisses, ut
» cogitares, atque confitereris vere Deum esse
» Christum, unumque ac solum esse Dei ac
» Patris, non divisum in hominem seorsim
» et in Deum similiter, sed eumdem esse et
» ex Deo Patre Verbum, et ex muliere ho» minem nostri similem, unaque Deum per» manere ». Vide igitur ut a Cyrillo Dei Genitrix heic asseritur Maria, quia non seorsim Verbum, et seorsim homo est, ut huius mater, non illius mater sit Maria; sed unus, et solus est, idemque qui ante carnem, nunc cum carne Deus Verbum.

XIII. Porro autem oggerenti Nestorio, tam non esse Mariam Matrem Dei, etsi carnem Deo unitam generet, quam nec animae mater est quaelibet vulgo mater, etsi carnem animae unitam gignat; sed ut mater quaelibet dicitur non animae, sed hominis, ita dicendam esse Mariam Matrem non Verbi, sed Christi. Respondet Cyrillus, et matrem esse

animae in carne, quae mater est hominis totius; et praeterea Mariam Matrem esse Verbi, nec tantum Christi, quia Christus non aliud totum est quam Verbum, sicut nec alia persona est. Si enim aliud totum esset, alia quoque foret persona. « Gignitur enim a car- » ne caro procul dubio; et ille rerum omni- « um opifex, modo et ratione quam ipse » novit, ut animata sit, efficit: sed tamen « mulier quae peperit, etsi carnis tantummo- « do sit origo, totum hominem tamen enixa « creditur, ex anima inquam, et corpore, « quamvis ad existentiam animae nihil a sei- « psa contulerit; sed tamen qui hominem « dixit, etiam animam carni unitam signifi- « cavit. Ut enim mulier quamvis solum cor- « pus enixa, ex corpore et anima constan- « tem peperisse dicitur, neque tamen id ani- « mi rationibus quidquam officit, quasi car- « nem suae existentiae habuerit initium; ita « etiam se res habet in beata Virgine. Nam « etiamsi sanctae illius carnis est mater, at- « tamen unitum sibi revera illud ex Deo « Verbum Deum peperit ». Facessat igitur Nestorius, neque amplius garriat, Dei Genitricem dici non posse Mariam, quia Divinitatem non genuit.

Quin proprie hinc vereque Deipara, quia

Divinitatem genuit in carne, quia non separatim nascitur humanitas; quia nec separatim humanitas ullatenus est, sed non aliud est quam Deitas incarnata, Verbum in carne. Unde sicut non aliud est reapse, ita non aliud nasci potest, quam Deitas incarnata, Verbum in carne.

XIV. Cyrillo Ferrandus suffragatur, quem heic licet loco non suo, audire tamen omnino necesse est. Quum enim obiectasset blasphemus homo Nestorius: si Maria Dei Genitrix esset, sequeretur ipsam esse Deam; matri enim filius consubstantialis est; ac amplius nugaretur: ex una substantia generari nullatenus possunt substantiae duae sed Deus et homo sunt substantiae duae, ergo Maria non est hominis Deique Genitrix. Ad primum ita respondet Ferrandus in Epistola ad Anatolium: *Frustra expavescit quisquis aestimat consubstantialem Divinitati matrem futuram, si veraciter, et proprie Maria Mater fuerit Dei. Profecto enim quia veraciter et proprie generanti semper est consubstantialis ille qui nascitur, accepit ab ea Deus, unde ei fieret consubstantialis, et sic ex ea nasci dignatus est. Ita igitur proprie, sicut veraciter, Maria divinitatem filii genuit, sed incarnatam: sine carne enim divinitatem sem-*

*piternam generare non posset homo mortalis.*

Ad alterum vero : » *quisquis autem putat aut dicit ex una substantia generari nullatenus potuisse substantias duas, veraciter dicit, si separatim generatas audierit. Nunc vero in magno illo, et mirabili Sacramento, quod manifestatum est in carne, divina substantia secundum humanam substantiam proprie nata est, quia non separatim nata est; nec humanitatem proprie natam sibi divinitas adunavit, sed adunando eam sibi, proprie nata est. Dicam adhuc planius pro captu infirmitatis meae. Proprie est nata de Patre divinitas pura : proprie est nata de matre eadem incarnata divinitas. Et hoc distat inter unius Filii duas generationes, quod in divina generatione nulla fuit humanitas ; in humana generatione adunata fuit humanitati proprie nascenti divinitas.*

Vide ut Cyrillo Ferrandus in omnibus consensiat ! Vide quo uno armati argumento Nestorianas multiplices cavillationes disperdant ! Vide et nomen Deiparae in Maria, et personae unitatem in Christo, eo ex cardine pendere, ut caro animata nec tantillum segregata fuerit a Verbo, aut per se separatim spectetur, aut aliud quid quam Verbi accessio fuerit ! Vide demum et Virginis foecundita-

tem, et Dei nativitatem, et hominis Divinitatem indissociabili prorsus nexu cohaerentes!

XV. Porro autem, ne quid intactum relinquam, et hoc ipso frangitur Nestorii cavillatio altera, quod nemo antiquiorem se pariat Quid? » Numquid non antiquior (egregie in-
» quit Cassianus *Lib. IV. de Incarnat. cap.*
» *II,*) Filia hominis Dei Filius? Numquid
» non antiquior denique homine ipso Deus?
» Cum utique nullus hominum non ex Deo:
» Vides ergo quod non solum antiquiorem se
» Maria peperit, non solum inquam antiquio-
» rem se, sed authorem sui; et procreans
» procreatorem suum, facta est parentis pa-
» rens. Quia quam promptum utique fuit Deo
» nativitatem homini tribuere: tam promptum
» sibi. Quam facile ut hominem nasci face-
» ret, tam facile ut ipse ex homine nascere-
» tur. Neque enim circumscripta est in per-
» sona sua potestas Dei, ut quod ei in om-
» nibus licet, non liceat in se ».

XVI. At resumamus heic intermissam telam; interest enim et Ioannem Antiochenum (Nestorii comitem, et sub Theodoro Mopsuesteno discipulum) audire in Epistola ad Nestorium. » Etenim si id quod nominis (Dei-
» parae) significatione offertur non recipi-
» mus, restat ut in gravissimum errorem pro-

» labamur ; imo vero ut inexplicabilem illam » Unigeniti Filii Dei oeconomiam abnegemus: » quandoquidem nomine hoc sublato , vel » huius potius nominis notione repudiata , « sequitur mox illum non esse Deum , qui » admirabilem illam dispensationem nostrae « salutis causa suscepit ». Quid quod aperte Theodoretus Virginem Sanctam ex Apostolica traditione Dei Genitricem nuncupatam adfirmat ; cuius testimonium eó pluris faciendum, quod ipse etiam pro Nestorii fautore initio se gesserat. Expressissima illius verba haec sunt ex Lib. IV. de haer. cap. XII. *Antiquissimi Catholicae Fidei praecones , ex Apostolica traditione docuerunt , Matrem Domini nominandam , credendamque esse Dei Genitricem.* Quam adpellationem Ephraemius Antiochenus Episcopus apud Photium , vel inde ab Elisabetha repetit Zachariae coniuge , cuius illa salutatio ( Luc. I. 43. ) *Unde hoc mihi , ut veniat Mater Domini mei ad me.* Accedit Confessio Fidei Episcoporum orientalium (19) : » Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, Deum esse perfectum , et hominem perfectum ex

(19) Habes illam apud Cyrillum in Epistola ad Ioannem Antiochenum.

anima rationali et corpore constitutum ; ante saecula quidem ex Patre natum secundum Divinitatem , postremis vero temporibus eumdem ipsum , propter nos , et propter nostram salutem , ex Maria Virgine , secundum humanitatem : siquidem duarum naturarum facta est unio ; et propterea unum Christum , unum filium , unum Dominum confitemur. Secundum hunc inconfusae unitatis intellectum Sanctam Virginem Deiparam esse confitemur ». Demum Paullus Emissenus Episcopus in Homilia Alexandriae habita : *Parit Dei Genitrix Maria Emmanuelem. Qui ita non dicit, intelligit , et sentit , anathema sit ab Ecclesia.*

XVII. Sed porro cui bono , si adhuc in corrogandis Patrum testimoniis post Ephesinum Concilium adlaborare vellem ? Supervacaneum id ac profecto longum , et fastidiosum esset. Si enim ipsa Nestorii aetate Deiparae nomen et in lucubrationibus Patrum , et in Fidelium ore ac sermonibus frequentatum adeo erat, ut simul ac Dorotheus Episcopus , ipso praesente ac iubente Nestorio anathema dixerit , si quis Mariam Deiparam appellarit : *statim ingens universi populi clamor , et discessio consecuta est ; nolebant enim diutius cum eo communionem habere ,*

*qui tali mente, talique sensu praeditus esset* (20), quid dicendum postquam agitata ac finita est omnis controversia? post Ephesinam Synodum, damnatumque Nestorium? post Concilia fere omnia quae subsecuta sunt Oecumenica? SANCTA MARIA MATER DEI ORA PRO NOBIS PECCATORIBUS (*).

---

(20) Conferas Cyrilli Epistolam ad Caelestinum.

(*) Hinc mos apud maiores nostros invaluit post Synodum Ephesinam pingendi sculpendive Sanctam Virginem in ulnis gestantem tenellum Dominum, ut eam ΘΕΟΤΟΚΟΝ, seu veram Dei Matrem quam manifeste proderent, ac celebrarent, adversus perfidiam Nestorianam. Huiusmodi est Icon pervetusta in Museo Victorio, quam videsis apud Eminentissimum Carampium in *Dissertat. de Numo Benedicti III. p.* 150. Sed prae ceteris cimeliis dignissima Crux pectoralis ex aere, quae adservatur in Ecclesia S. Erasmi Verularum, cuius ectypum an. MDCCLXXVIIII. edidit Eminentissimus Cardinalis Stephanus Borgia, vir profundae eruditionis, mihique cum viveret, vere amicissimus in *Commentar. de Cruce Vatican. p.* 45. Cuius in antica parte Christi Crucifixi imago cusa; in adversa vero medium locum tenet Virgo DEIPARA infantem Iesum sinistra gerens cum graeca epigraphe ΜΡ ΘΥ, ΙΩΑΝΑ ΜΗ ΧC, quae sonant *Mater Dei, Ioannes, Mater Christi.* Crucem autem forma ipsa ostendit, Graecum Encolpium esse, in cuius interiori parte sacrae reliquiae condebantur.

## CAPUT V.

*De duabus in Christi personam convenientibus sine ulla confusione naturis adversus Eutichetem.*

I. Nescit plane, vitam suam nescit, inquit Hilarius, qui Iesum Christum ut verum Deum, ita et verum hominem ignorat; et ejusdem periculi res est, Christum Iesum, vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare . . . . . . Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiae constitutus, et ipso illo inter Deum et homines Mediatoris Sacra-

---

Alterum huiusmodi Graecum Encolpium Syracusis repertum, in Museo Cassinensium Panormi servatur, quod in antica parte Christum habet Crucifixum colobio sine manicis indutum, cum litteris hinc inde in transversali hasta infra brachia IC XC i. e. *Iesus Christus*. In altera vero ad longitudinem Crucis Mulierem stolatam, capite palliolo tectam, cum litteris in superiori hasta in hunc modum :

| | |
|---|---|
| ΘΚ | quae legi ita fortasse possunt: |
| Ε | ΘεοτοΚΕ ΒΟηθη ΑΝΝΑ- |
| ΒΟ | Cτασιω, nimirum: *Deipara* |
| ΑΝΝΑC | *adiuva Anastasium.* |

mento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturae utriusque res eadem est: ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursus Deus manendo non esset. Haec itaque humanae beatitudinis fides vera est, Deum et hominem praedicare, Verbum et carnem confiteri. Neque Deum nescire, quod homo sit, neque carnem ignorare, quod Verbum sit.

II. Duplex enim Ioannis testimonio Divini Verbi nativitas; aeterna ex Patre: *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; et temporalis ex Matre: *et Verbum Caro factum est*, duplicem eius probat naturam. Porro scriptum est (Ioan. I. Cap. IV.) *omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, et omnis spiritus qui solvit Christum, ex Deo non est, et hic est anti-Christus*. Qua saltem sententia inquit Sanctus Leo, conterreri Eutyches debuisset: Quid enim est solvere Iesum, nisi humanam ab eo separare naturam; et Sacramentum, per quod unum salvati sumus, impudentissimis evacuare figmentis? Sed et peremptorius accedit eiusdem Beati Apostoli locus: *Quod fuit ab initio; quod audivimus, quod vidi-*

*mus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae. Et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis.* Praeclarum item et Paulli est testimonium in Epistola ad Romanos ( IX. 5. ) ubi de Iudaici populi praerogativa loquens: *Quorum patres*, inquit, *et ex quibus est Christus secundum carnem: qui est super omnia benedictus Deus in saecula*; quemadmodum legit vetustissimus Irenaeus. Quid quod in Epistola ad Philippenses ( II. 6. ) *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo*; » Ergo quia forma » Dei ( inquit Augustinus ) accepit formam » servi, utrumque Deus, utrumque homo, » sed utrumque Deus propter accipientem » Deum, utrumque homo, propter acceptum » hominem «.

III. Scrutanda autem nunc esset traditio, atque antiquissimorum Patrum Ignatii Martyris, Iustini, Irenaei, Origenis, Clementis Alexandrini, Hippolyti Episcopi, Eusebii Caesariensis, Epiphanii auctoritas interponenda, nisi insignia eorumdem testimonia supra

posuissemus abundanter. Verumtamen temperare mihi hoc loco prorsus nequeo, quin summatim duos tresve tantum in medium adducam. Atque e Graecis primum memoro Basilium, cuius auctoritate Leo Pontifex ad conterendos veritatis transfugas usus est in *Epistola ad Leonem Imperatorem*: » Cum ergo » quaedam in Christo ita videmus humana, » ut nihil a communi mortalium fragilitate » distare videantur; quaedam ita divina, quae » nulli alii, nisi illi ineffabili naturae conve» niant deitatis: haeret humani intellectus » angustia, et quo se convertat, ignorat. Si » hominem putet, devicto mortis regno cum » spoliis redeuntem a mortuis cernit. Propter » quod cum omni metu, et reverentia con» templandum est, ut in uno eodemque ita » utriusque naturae veritas demonstretur, ut » neque aliquid indignum, et indecens de » Divina illa et ineffabili substantia sentiatur: » neque rursus quae humanitus gesta sunt, » falsis illusa imaginibus aestimentur «. Basilio par Gregoriorum suffragatur; Nazianzenus quidem in Epistola ad Cledonium: *Missus est, sed ut homo. Duplex enim erat in eo natura. Inde denique et laboravit ex itinere, inde et esuriit, et sitivit, et contristatus est,*

*et flevit, humani corporis lege.* Iterumque in Carmine *de Virginitate*:

> *Venit Deus, et homo, naturas duas in unum colligens;*
> *Unam occultatam, alteram manifestam hominibus.*

Et Nyssenus in Oratione ad Eunomium, Act. II. illa explicans verba: *Dextera Dei exaltatus*, haec adposite inquit; » Atqui Deus » exaltatione non indiget, cum sit altissimus. » Humanam igitur naturam exaltatam fuisse » dicit Apostolus: exaltatam vero, eo quod » Dominus et Christus facta sit «.

IV. Insignis etiam hanc in rem est Amphilochii locus apud Theodoretum *Dial. II. Discerne naturas, unam Dei, alteram hominis. Nam nec excidens ex Deo, factus est homo; neque proficiens ex homine Deus.* Ioannes Chrysostomus item in *Ps. XLIV. Non ipsa substantia in carnem demutata est, hoc enim vel cogitare impium est, sed manens id quod est, ita servi formam suscepit.* Tum et Theophylus Alexandrinus in Epistola Paschali adversus Origenem: » Unus Filius Pa- » tris nostrique Mediator, nec aequalitatem » ejus amisit, nec a nostro consortio separa- » tus est: invisibilis Deus, et visibilis homo; » forma servi absconditus, et Dominus glo-

« riae confessione credentium comprobatus. » Neque enim privavit eum Pater naturae » suae nomine, postquam pro nobis homo, » et pauper effectus est, nec in Iordane flu» vio baptizatum altero appellavit vocabulo, » sed Filium unigenitum: Tu es Filius meus « dilectus. Nec similitudo nostra in Divini» tatis est mutata naturam, nec Divinitas in « nostrae naturae versa est similitudinem.

V. Sed ut ceteros mittam, unum maxime omnium praestat audire Cyrillum Alexandrinum, quandoquidem de huius sancti Doctoris patrocinio potissimum sibi Eutyches plaudebat: » Non enim dicimus, inquit, quod Dei » natura conversa vel immutata, facta sit ca» ro; nec quod in totum hominem, qui est » ex anima, et corpore, transformata sit; » sed illud magis, quod carnem anima ratio» nali sibi copulaverit Verbum substantiali» ter, et ineffabiliter factus sit homo, et » nuncupatus sit etiam filius hominis, non » nuda tantummodo voluntate sed, nec as» sumptione sola personae; sed quod diver» sae quidem naturae in unum convenerint, » unus tamen ex ambabus Christus et Filius, » non evacuata, aut sublata diversitate natu» rarum per conjunctionem, sed quia simul » nobis effecerunt unum Dominum, et Chri-

» stum, et Filium, id est divinitas, et hu-
» manitas : per arcanam illam ineffabilemque
» copulationem ad unitatem ».

VI. Ex Latinis Sanctum Ambrosium profero, cuius illa est expressissima enunciatio Libro II. de Fide ad Gratianum: *Servemus distinctionem Divinitatis, et carnis.* Et Lib. de Incarnatione contra Apollinaristas: *Sed dum hos redarguimus, emergunt alii, qui carnem domini dicunt et Divinitatem unius esse naturae. Quae tantum sacrilegium inferna vomuerunt?* Consentanea Augustinus habet in Epistola ad Volusianum: *Ita inter Deum et homines Mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam et solita sublimaret insolitis et insolita solitis temperaret.* Et rursum in primo libro de Tri-
» nitate : Neque enim illa susceptione alterum
» eorum in alterum conversum, atque muta-
» tum est; nec divinitas quippe in creaturam
« mutata est, ut desisteret esse divinitas : nec
« creatura in divinitatem, ut desisteret esse
» creatura. Sed omnium instar, quorum aggerandis testimoniis supersedeo, unus demum sit Sanctus Leo, qui insolubili prorsus Eutychianos perstrinxit anathemate, duarumque in Christo naturarum confessionem doctissimis elucubrationibus illustravit. Ita is in *Epistola*

*ad Flavianum*, quae a Synodo Calcedonensi magno plausu est' suscepta : Nativitas carnis » manifestatio est humanae naturae ; partus » Virginis divinae est virtutis indicium. In- » fantia parvuli ostenditur humilitate cuna- » rum ; magnitudo Altissimi declaratur voci- » bus Angelorum. Similis est rudimentis ho- » minum quem Herodes impie molitur occi- » dere ; sed dominus est omnium, quem » Magi gaudent suppliciter adorare. Iam cum » ad praecursoris sui Ioannis baptismum ve- » nit, ne lateret, quod carnis velamine Di- » vinitas tegeretur, vox Patris de coelo in- » tonans dixit : Hic est Filius meus dilectus, » in quo mihi bene complacui. Quem itaque » sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem » sicut Deo, Angelica famulantur officia. Esu- » rire, sitire, lassescere, atque dormire, evi- » denter humanum est : Sed quinque panibus » quinque millia hominum satiare, et largiri » Samaritanae aquam vivam, cuius haustus » bibenti praestet, ne ultra iam sitiat ; su- » pra dorsum maris plantis non desidentibus » ambulare, et elationes fluctuum, increpata » tempestate consternere, sine ambiguitate » divinum est. Sicut ergo, ut multa praete- » ream, non eiusdem naturae est, flere mi- » serationis affectu amicum mortuum, et eum-

» dem remoto quatriduanae aggere sepulturae,
» ad vocis imperium excitare redivivum ; aut
» in ligno pendere , et in noctem luce con-
» versa , omnia elementa tremefacere , aut
» clavis transfixum esse , et paradisi portas
» fidei Latronis aperire ; ita non eiusdem na-
» turae est dicere : Ego et Pater unum su-
» mus ; et dicere : Pater maior est. Quamvis
» enim in domino Iesu Christo , Dei , et ho-
« minis una persona sit ; aliud tamen est ,
» unde in utroque communis est contumelia,
» aliud unde communis est gloria. De nostro
» enim illi est minor Patre humanitas ; De
» Patre illi est aequalis cum Patre divinitas«.

VII. Febre aestuantibus Eutychianis occurramus. Quid ? furorne an delirium id , quod ex ipsis Scripturarum testimoniis , quibus praefocantur , sibi magna pollicentur haeretici ? Scio equidem , nebulones non aliunde quàm ex Evangelico effato *Verbum Caro factum est* , ansam obloquendi arripuisse , Verbum in carnem conversum , vel carnem a Verbo consumptam. Sed quae ista tanta insanissimorum hominum insania ? Sane enim Verbum Carnem factum esse non conversione in carnem , non commixtione , et confusione, sed unitione , et assumptione , eo tenendum est modo , quo Christus in Scripturis factus

pro nobis dicitur maledictum et peccatum, non quod in execrationem et peccatum sit conversus, sed quia maledictum in se suscepit et peccata nostra pertulit. *Desinant ergo dicere*, ( inquit S. Ambrosius Lib. de Incarnatione Cap. VI. ) *naturam Verbi in corporis naturam esse mutatam*; *ne pari interpretatione videatur natura Verbi in contagium mutata peccata* (21).

VIII. Quid quod ne verba illa Verbum caro factum est mixtionis confusionisque falsam quamdam speciem imperitorum animis insererent, Spiritus Sancti providentia factum ut e vestigio Beatus Apostolus Ioannes posuerit: *et habitavit in nobis*; quemadmodum egregie S. Ioannes Chrysostomus ( *Homilia II. in Ioannem* ) » Ut intelligas ob » id unum scriptum esse, *Factum est*, ne » apparentem speciem suspiceris; audi ut » in sequentibus orationem suam repurgat, ac » pravam illam suspicionem evertit. Quid » enim subiicit? *Et Habitavit in nobis*: tam» quam sic te alloqueretur: Vide ne quid » absurdi suspiceris ex illa voce, *Factum est*; » non enim mutationem illam immutabilis il-

(21) Conferas in hunc sensum et S. Athanasium apud Theodoretum *Psal.* 11. et S. Gregorium Nazianzenum in *Epist ad Cledonium*.

» lius naturae significavi, sed habitationem,
» et commorationem. Porro id quod habitat,
» non est idem cum eo quod habitatur, sed
» diversum. Nam alterum habitat in altero,
» alioqui non esset habitatio. Nihil enim in
» seipso habitat. Ceterum alterum dixi sub-
» stantia. Quippê unitione, et copulatione
» unum est Deus Verbum, et caro: ita ut
» non confusio, vel extinctio ulla substan-
» tiarum acciderit: sed inexplicabilis quae-
» dam, et omnem dicendi facultatem supe-
» rans unitio «.

IX. Adhuc autem ut ex tanta mentis aestuatione evadant, beatissimum Hipponensem Episcopum ultro illis audiendum offerimus; quippe rem pereleganti exemplo illustrat (*Serm. XXIII. de Tempore*) » Nemo ergo credat
» Dei Filium coaeternum, et coaequalem,
» conversum et commutatum esse in hominis
» Filium: sed potius credamus, et non con-
» sumpta Divina, et perfecte assumpta hu-
» mana substantia, manentem Dei Filium,
» factum hominis Filium. Neque enim quia
» dictum est, Deus erat Verbum, et Ver-
» bum Caro factum est: sic Verbum caro
» factum est, ut esse desineret Deus, quan-
» do in ipsa carne, quod Verbum caro fa-
» ctum est, Emmanuel natum est, nobiscum

» Deus. Sicut verbum quod corde gestamus,
» fit vox, cùm id ore proferimus; non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in qua procedit, assumitur, ut et intus maneat quod intelligatur, et foris sonet quod audiatur: hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita verbum cum fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, et assumpta carnis voce, procedit ad audientem, et non deserit cogitantem ».

X. Nec porro est cur sibi tantopere perversi homines blandiantur de illa loquendi formula a S. Cyrillo Alexandrino usurpata in Epistola II. ad Successum; quin abunde potius ibi habent unde erubescere; quod nimirum ipsimet id promant, quo enecantur. Scripserat Cyrillus: *post unitionem non dividimus naturas a se mutuo, neque in duos secamus Filios illum, qui unus est et individuus. Sed unum dicimus Filium, et quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam incarnatam* Proh hominum impudentiam! Cyrilli interpres non alius profecto advocandus, quam Cyrillus ipse *in eadem Epistola II. ad Successum.* » Si enim » unam naturam dicentes Verbi Dei, tacuis-

» semus non inferentes incarnatam, sed ve-
» lut abiicientes dispensationem, erat illis
» forsitan non improbabilis sermo simulanti-
» bus interrogare : ubi est in humanitate per-
» fectio, aut quomodo substantia nostra sub-
» sistit? Quoniam vero, et perfectio quae in
» humanitate est, et essentiae nostrae mani-
» nifestatio, illata est per id quod dictum
» est, Incarnati, iam desinant, arundineam
» virgam sibi supponentes.

Hinc in V. Synodo *Collat. VIII. Can. VIII.* Si quis unam naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quod unus Christus factus est ex divina natura, et humana, unione secundum substantiam facta; sed ex talibus vocibus naturam unam, sive substantiam divinitatis, et carnis Christi introducere conatur, anathema sit «.

XI. Postremo id invidiosius premunt impudentissimi blaterones, quo efficacius, premebantur, id criminantur, quo apertissime eorum nudabatur vesania (22). Premunt id inquam, quod Patres non raro mixtionis nomen in naturarum unitione exprimenda usurpaverint, in primis vero Tertullianus Apolo-

(22) Quasi inde naturarum confusio importare-

get. Cap. XXI. inquiens: *nascitur homo Deo mixtus*; et S. Augustinus in Epistola III. ad Volusianum Persona Christi *mixtura est Dei et hominis*. S. Leo Serm. III. in Nativ. Domini: *Non sic Natura humana in societatem sui creatoris est assumpta, ut ille habitator, et illa habitaculum esset, sed ita ut natura alteri altera misceretur.* Sed antequam ipsi suos aperte pandant sensus, eximii quique ex Graecis et Latinis Patres, praestat iterum iterumque inclamantem audire Cyrillum *Libro I. adversus Nestorium*, usos mixtionis voce Patres ad penitissimam duarum naturarum unio-

---

tur, *permixtionem* abhorrebat Nestorius; et alia unioni non tam abstringendae, quam sciudendae accomodata, per summam vafritiem suggerebat vocabula. Tametsi vero unitatem personae in Christo non alio validiore praesidio communiri posse existimaverint Patres, quam *commixtionis* voce, opportunissima quidem omnium iugulandae Nestorianae vesaniae, ( quemadmodum satis superque ex libello Confessionis Leporii adparet, quam ab Agustino dictatam, quovis deposito pignore decertarem ego ) tamen haud negandum est abusive illam usurpasse Patres, quatenus in periculum adducere potest commixtio discretionem naturarum. Quod ideo duxi monendum, ut probe omnis calumniae amputetur occasio.

nem, non autem ad confusionem exprimendam, *Mixtionis nomen posuerunt nonnulli etiam Sancti Patres, sed ea voce sunt usi cum summam unionem ostendere studerent.* Quod vero ad Tertullianum pertinet, sane is in *Libro contra Praxeam Cap. XXVII.* aperte negat, talem factam esse carnis, et Divinitatis mixturam, ut tertium quid efficiatur, quo modo ex auro et argento simul mixtis fit electrum; nec nisi ad perfectam duarum naturarum unitionem denotandam mixtionis voce est usus. Augustinus autem nullibi luculentius, explicatiusque quam loco memorato: *Sicut, inquit, in unitate personae, anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personae, Deus unitur homini ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animae et corporis: in hac persona mixtura est Dei et hominis: si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam: quamquam et in ipsis corporibus, aëri lux incorrupta misceatur.*

XII. Quandoquidem vero et Sanctum Leonem hac in re nominare haud quidquam puduit flagitiosissimos nebulones, quo uno, modo Scripturas interpretante, modo traditionem opponente prostrati sunt, haud illis mo-

lestum sit ipsum audire doctorem, quomodo non ad confusionem naturarum exprimendam, sed ad personalis unitatis vinculum enixius constringendum, id posuerit vocabulum. Hic enim, inquit: Mirabilis sacrae Virginis par» tus, vere humanam, vere divinam una e» didit prole naturam: quia non ita proprie» tates suas tenuit utraque substantia, ut per» sonarum in eis possit esse discretio: nec » sic natura in societatem sui Creatoris est » assumpta, ut ille habitator, et illa habi» taculum esset: sed ita ut naturae alteri al» tera misceretur. Et quamvis alia sit, quae » suscipitur, alia vero quae suscipit: in tan« tam tamen unitatem convenit utriusque di» versitas, ut unus idemque sit Filius, qui » se, et secundum quod verus est homo, Pa» tre dicit minorem, et secundum quod ve» rus est Deus, Patri profitetur aequalem «.

XIII. Sit at disputationi terminus, et uti pronuntiata est fidei definitio in Chalcedonensi Concilio, ita et teneamus, confitentes: » Chri» stum Dominum nostrum, eumdem perfe» ctum in Deitate, et eumdem perfectum in « humanitate, Deum verum, et hominem » verum, eumdem ex anima rationali, et » corpore: consubstantialem Patri secundum « Deitatem, consubstantialem nobis secundum « humanitatem: ante saecula quidem de Pa-

» tre genitum secundum Deitatem: in novis-
» simis autem diebus eumdem propter nos,
» et propter nostram salutem, ex Maria Vir-
» gine Dei genitrice, secundum humanitatem,
» unum, eumdemque Christum, Filium, Do-
» minum, Unigenitum, in duabus naturis
» inconfuse, immutabiliter, indivise, inse-
» parabiliter agnoscendum. Nusquam sublata
» differentia naturarum propter unitionem,
» magisque salva proprietate utriusque natu-
» rae, et in unam personam atque subsisten-
» tiam concurrente (*). «

---

## (*) EXCVRSUS

*In Paulli locum ad Colossenses, quo duarum in Christo naturarum, essentialis, naturalis, et substantialis unio illustratur.*

Dum in his eram, probe mihi venit in mentem Apostoli locus ad Colossenses Cap. II. v. 9. *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; quo vel uno Scripturarum textu adprime clarescit, fundatissime quantum Patres divinam humanamque in Christo naturam ουσιωδως *substantialiter*, σωματικως *corporaliter* et κατα φυσιν *secundum naturam*, unitas sexcenties edixerint. Non

## Caput VI.

## DE MUTUA PROPRIETATUM COMMUNICATIONE.

I. Nestorianis, Eutychianisque debellatis, Catholica iam nunc stabilienda de idiomatum communicatione doctrina. Sane vero quae in-

---

enim alia tum haereticorum ludificationibus diluendis adcommodatior, tum muniendo catholico dogmati visa est opportunior, quam unio ουσιωδης naturalis et essentialis; siquidem accidentalium unitionum praestigias omnes omnino abstergat, physiceque, et substantialiter copulet deitatem humanitati. Sed veniamus ad Apostoli locum, cuius vel singula verba sunt singillatim expendenda.

IN IPSO ( οτι εν αυτω ) in Christo homine nimirum, qui et Deus est in saecula. HABITAT ( graece κατοικει, quod *habitare* est, non commorari tantum.

OMNIS PLENITUDO DEITATIS CORPORALITER ( παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως ). Dixerat sane capite I. v. 19. οτι εν αυτω ευδοκησε παν το πληρωμα κατοικησαι, *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Dixerat et hoc ipso capite II. v. 3. εν ω εισι παντες οι θησαυροι της σοφιας, και της

ter duas Christi naturas intercedit coniunctio, eo arctissimo vinculo est stricta, ut quod in

γνωσεως αποκρυφοι, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae absconditi*; sed vires adquirit eundo, ac veluti per gradus ex gloria in gloriam ad summum evehitur fastigium, in intima veritatis adyta penetrans.

DEITATIS, sane Θεοτητα dixit *Deitatem*, non Θειοτητα, ut ad Rom. I. 20. habitare dicit in Christo; hoc enim potius adtributa, illud naturam ipsam Dei designat, quae non est nisi in solo Christo. Accedit quod nos naturae divinae tantum participes fieri dicimur (ut II. Petr. 1. 3.) θειας κοινωνοης φυσεως; Christo autem naturae Dei tota plenitudo inesse dicitur, quod magnam habet emphasim. Nam Hebraice plenitudo perfectionem significat, ut cum *argentum plenum* dicitur (Gen. XXIII. 9.) pro eo quod est perfectum. Ita et (Ps. XXIV. 1.) *Domini est terra et plenitudo eius*, i. e. terra quanta quanta est. Eodem modo (I. *Reg.* 28. 20.) Saul cecidisse dicitur *plenitudine staturae suae* i. e. quantus quantus erat. Sic *plenitudo Deitatis* nonnisi Deum significat.

CORPORALITER Graece σωματικως; quod tantumdem esse ac *veraciter* plerique putant, quia veritas typis opponitur, quomodo corpus umbrae; alii *corporaliter* idest in Christi corpore. Vtriusque interpretationis Augustinus auctor est Lib. de Praesent. Dei cap. XIX. *Non ideo corporaliter, quia*

Trinitate Personarum eiusdem naturae efficit unitas, id etiam in unitate Personae in Chri-

*corporeus sit Deus; sed aut verbo translato usus est, quasi tamquam in templo manufacto, non corporaliter sed umbraliter habitaverit; idest praefigurantibus signis. Nam illas omnes observationes umbras futurorum vocat, etiam ipse translato vocabulo: aut certe corporaliter dictum est, quia et in Christi corpore, quod assumpsit ex Virgine, tamquam in templo habitat Deus.* Sic fere et idem repetit Epistola LVII. ad Dardanum.

Sed ut, quod res est, ingenue fatear, nec primum mihi adridet interpretamentum, siquidem non typice tantum, sed et vere habitavit Christus in Templo Hierosolymitano; quamobrem nihil heic, vel parum dixisset Apostolus. Neque altera sedet explicatio, tametsi enim Christi corpus concedimus esse veluti deitatis templum, tamen in eo dici non potest Deus habitare corporaliter, uti neque anima in corpore corporaliter esse dicitur. Id enim respicit habitationis modum, non locum. Quid? si το σωματικως interpreteris ολος *totaliter*, veluti habita ratione corporis ad membrum, quae eadem est ac totius ad partem? Sane haud improbarem, nisi aliud nunc animo obversaretur.

Profecto enim Hebraismum in ea dictione evidenter video, quo corpus pro essentia accipitur; sic ut Deum habitare in Christo corporaliter, idem sonet ac essentialiter. Quo sensu Hebraei non raro

sto duarum naturarum efficiat unitio. Illic enim Personae tres, hic vero naturae duae in

---

incorporeis quoque rebus corpora tribuunt. Ita passim in primigenio hebraico textu legitur *in corpore eius diei* ( Gen. VII. 23. et XVII. 23 Exod. XII. 17. Levit. XXIII. 14. ) id est *in illa ipsa die*. Sic Iobi XXI. 23 hebraicus textus habet : *Moritur in corpore puritatis suae*, ubi corpus puritatis est ipsa puritas. Et Rom. VI. 6. *corpus peccati* est peccatum ipsum. Et ibidem VII. 24. *Corpus mortis* est ipsa mors, et Col. I. 18. *Corpus Ecclesiae*, est ipsa Ecclesia, ut patet ex collatione loci huius cum *Ephes. I.* 22. Illic enim dicitur *Caput corporis Ecclesiae*, hic vero *caput Ecclesiae ipsius.*

Eadem plane ratione Deus dicitur habitare in Christo σωματικως i. e. ipse in essentia sua. Nam et in nobis habitat et *veraciter* 1. Cor. XIV. 25. ο Θεος οντως εν υμιν εστιν; et *totaliter* Eph. III. 19. *pleni sitis omni plenitudine Dei*; et corpus nostrum est ipsius templum 1. Cor. III. 17. et VI. 19. sed in nobis habitat tantum εν πνευματι, h. e per virtutem diffusam in suis, ut habetur Eph. II. 22. συνοικοδομουμεθα εις κατοικητηριον ου Θεου εν πνευματι. At in Christo σωματικως. Iam patet ratio oppositionis. Dei quidem essentia ubique diffunditur, sed hic habitare aliquanto plus est, quam adesse. Habitare est uniri, et communi vinculo sociari. Sic II. Cor. V. 1. et Ioan. IV. 9. et

se ipsas περιχωρευειν *circuminsidere* (23) dicuntur. Egregie Gregorius Nazianzenus Orat.

---

II. Petr. 1. 14. corpus dicitur esse animae habitatio, quia essentiale vinculum inter illa duo intercedit. Talis est unio inter Christum hominem et Deum, nam Verbum caro factum est. Itaque Deus habitat in Christo non simpliciter εν πνευματι h. e. virtute diffusa, sed phrasi Hebraica σωματικως, h. e. Graece ουσιωδως, latine e sentialiter.

Sed quid Paulli loco interpretando fusius immoror? Video tandem sic a S. Cyrillo Alexandrino explicatum Lib. de Recta fide: *Magnus ille Paullus omnem divinitatis plenitudinem in ipso inhabitasse scribit, non quidem per doni alicuius participationem, aut habitudinem, aut gratiae communicationem, sed corporaliter, hoc est, essentialiter* ουσιωδως. Video et in eumdem sensum convenisse Isidorum Pelusiotam Lib. IV. Ep. CLXVI. *Tu quidem ignorare te dicebas, dictum illud quid sibi velit: In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Ego vero id dictum esse arbitror pro essentialiter* ουσιωδως· Manum igitur de tabula.

(23) Huiusmodi περιχωρησεως *circuminsessionis* vocem non in Θεολογια tantum de Trinitate Personarum, sed et in Οικονομια etiam de Verbi Incarnatione usurparunt Patres. Conferas Nostrarum Lectionum *Lib. II. Cap. X. de SS. Trinit. My-*

LI. inquit: *commisceri*, *ut naturas*, *sic appellationes*, *et inter se vicissim commeare*, *ut quae sunt hominis propria*, *Deo*, *et quae Dei sunt homini tribuuntur ratione coniunctionis.* Damascenus item *Lib. III. De fide Orthodoxa Cap. V.* ita in se invicem inesse, ac se se quodammodo pervadere in Trinitate Personas, in Incarnatione naturas tradit, ut salva unicuique sit proprietas sua, neque mutatio, vel extinctio alterutrius intercedat, ob quam partium reciprocam immeationem fieri proprietatum communicationem scribit.

II. Ex ista autem intima penitissimaque Divinitatis insinuatione in humanitatis penetralia, tanta humanae naturae irrigata est dignitas, ut exhausta poene foece mortalitatis, tota in superiorem inferior, tota in potentiorem infirmior sit tracta, reservatis nihilominus quae humanitatis sunt propria. Atque nullum nactura esset finem oratio, si pulcherrimas quas-

---

*ster.* Verum id sedulo animadvertendum *circuminsessionis* vocabulum latius in Trinitate patere, quam in Incarnatione; nam ibi tres personae se se mutuo pervadunt, in se se commeant, tum se se capiunt, ac mutuo continent: hic vero Verbi Divinitatem non permeat, ac pervadit humanitas; nec infinitam Divinitatem amplectuntur, aut continent hominis angustiae.

que veterum Patrum similitudines hac adsuere vellem. *Exigua lucerna*, inquit Gregorius Nazianzenus contra Apollinarem, *magno incendio adiuncta non extinquitur, nec apparet, nec disiungitur, sed totum illud incendium est, superante nimirum eo quod praestantius est.* Cyrillus vero Lib. II. adversus Nestorium: *Ignis ubi lignum penetravit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato quod erat.* Et Gregorius Nyssenus contra Apollinarem: *Tamquam aceti gutta quaedam, immenso mari commixta, est humana natura in Divinitate, non tamen in peculiaribus suis proprietatibus:* ( nisi quod, ut hoc moneam, calumniis haereticorum patere possit postremum hoc, ex eo quod in mare ista gutta immersa, naturae statum non retinet, sed in aliam convertitur substantiam ). Atque hinc est, ut humanam naturam *deificatam* antiqui Patres dixerint, quo sensu Damascenus scripsit Lib. I. de Imaginibus: *Deus Verbum citra mutationem carnem deificavit, per mutuam in se invicem Divinitatis ipsius et carnis commeationem, confusionis expertem.* Quamobrem et a Graecis Patribus id frequenter usurpatum videmus, Christum totum esse Deum, et totum hominem, iuxta celebrem illam fidei confessionem

contra Samosatenum a Nicaenis Patribus editam: » Confitemur totum esse Deum, et totum hominem. Totum Deum, etiam cum corpore, sed non Deum quatenus corpus est. Et totum hominem cum Divinitate; sed non secundum Divinitatem, hominem. Sic totum adorandum, etiam cum corpore; sed non secundum corpus, adorandum. Totum adorantem, etiam cum Divinitate, sed non secundum Divinitatem, adorantem. Totum increatum, etiam cum corpore; sed non secundum corpus, increatum. Totum formatum, etiam cum Divinitate; sed non secundum Divinitatem, formatum. Totum consubstantialem Deo, etiam cum corpore; sed non secundum corpus, consubstantialem Deo; quemadmodum neque secundum Divinitatem consubstantialis est hominibus: cum tamen una cum Divinitate, secundum carnem consubstantialis sit nobis».

III. Porro autem ex his intelligas, duo potissimum esse in περιχωρησι *circuminsessione* notanda, individuam nempe coniunctionem, et reciprocam immigrationem, sive commeationem; quarum illa utrique communis est naturae; haec solius est Divinitatis; quippe sola Divina natura humanam potis est penetrare. Unde Damascenus Lib. III. de Fide Or-

thod. Cap. VII. *Sciendum insuper, quod etsi se invicem immeare Domini naturas dicimus, scimus tamen quod ex Divina natura immeatio provenit; nam omnia pertransit, quemadmodum vult, et permeat omnia, per ipsam autem nihil. Et ipsa quidem proprias glorificationes carni tradit, cum ipsa maneat impass.bil's, et immunis passionum carnis. Nam si sol nobis proprias actiones tradens, nostrarum manet expers: quanto magis Solis factor, et Dominus?* Ergo ex Damasceno, licet utraque natura altera alteri intime, et penitissime praesens sit ac unita, haec tamen inconfusa infusio a Deitate est exorta, ut superiore, potentiore, ac spiritaliore. Nam purioris est crassiorem inire; potentioris est infirmiorem invadere, superioris est inferiorem subiugare. Rursumque, quum ius, et potestas penes superiorem naturam sit, illa quidem laudes suas imbecilliori affundit, sed eius maculis, aut passionibus non confunditur.

IV. Atque ex hoc *circuminsessionis* fonte, sive ex summa arctissimaque coniunctione, qua naturae inter se duae nectuntur, illa proprietatum communicatio derivat, quam Graeci (24) *αντιδοσιν permutationem*, et Gre-

(24) Ita Ioannes Damascenus *Lib. III. de*

gorius Nyssenus in Libro contra Apollinarem *ἀντιμετάστασιν* *contrasmutationem*, adpellat; quaeque Maximo Martyri in disputatione cum Pirrho, illa dicitur, *per quam quae utrivis Christi parti naturaliter competunt, vicissim alterius propria redduntur, propter inexplicabilem unitionem, nulla unius in alteram secundum naturalem rationem mutatione, confusioneque facta.*

V. Nimirum igitur ex communicatione proprietatum id efficitur, ut naturae inter se, quae cuique peculiaria sunt, sibi tamquam propria vindicent, et uni eidemque tum singillatim, tum coniunctim omnia non diversa tantum sed etiam contraria tribuantur; cuiusmodi expressissima in Scripturis patent exempla. Hoc enim modo Apostolus Paullus in Epistola ad Hebraeos, quem aperte nominat (*Cap. I.*) *Filium Dei Splendorem gloriae, figuramque substantiae eius*, mox (*Cap. II.*) *paullulum ab Angelis minoratum*, dicit, et *propter passionem mortis, gloria, et honore coronatum*, quorum priora ad Divinitatem, posteriora ad humanitatem spectant. Et rursus in Epistola ad Colossenses (I. 14.) eumdem, *in quo habemus redem-*

---

*fide Orth. Cap. III.* Gregorius Nazianzenus *Orat. I.* ac passim ceteri Patres.

*ptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum* ( quod ad humanitatem pertinet ) *imaginem esse Dei invisibilis*, inquit, *primogenitum omnis creaturae, quoniam in ipso condita sunt universa in Coelis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* ( quae de Divinitate intelliguntur ). Quo pacto *Filius Dei pro nobis traditus* dicitur ( Rom. VIII. 32. ) *Dominus gloriae crucifixus* ( ad Galat. IV. 4. ) *Auctor vitae interfectus* ( Act. III. 15. ) Quae sane non alio explicari sensu possunt, quam per communicationem idiomatum, ut scilicet illa ipsa Persona Christi Iesu, quae secundum Divinitatem, et reipsa est Filius Dei, auctor vitae, et ominus Gloriae; secundum humanitatem dicatur tradita, crucifixa, interfecta; et quae secundum humanitatem ex semine David, et ex muliere facta dicitur, ea ipsa secundum Divinitatem recte dicatur ab aeterno fuisse, iuxta testimonium, quod ipse de se perhibuit ( Ioan. VIII. 58. ) *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

VI. Audivimus Scripturas, producamus nunc Patres, ut uti illarum auctoritate permutabi-

lem vocum ac proprietatum vicissitudinem ex naturarum unitione manantem edocti sumus ; ita et horum veriloquio doctrinae instructi contra haereticos muniamur. Hinc Ioannes Damascenus Lib. III. Cap. XV. *Unus est Christus , et una ipsius persona , sive hypostasis duas tamen naturas obtinet , Divinitatis , et humanitatis. Porro cum ex Divinitate naturaliter gloria procedat , utrique communis est , propter hypostasis identitatem , ex carne vero humilia proficiscuntur et eadem ambobus communia. Quippe unus est , et idem qui hoc et illud est , nempe Deus , et homo ; et ad eumdem pertinent tam quae sunt Divinitatis , quam quae humanitatis propria.* Et Gregorius Nyssenus *Lib. V. contr. Eunom.* » Propterea varie ipsum , ac diversa » ratione Scriptura tradit ; nunc de coelo » descendentem , nunc e muliere genitum » alias Deum anteriorem saeculis omnibus ac » rursus novissimis diebus hominem. Ad hunc » modum et impatibilis unigenitus Deus , et » patibilis Christus esse creditur : neque de » eo institutus per contraria sermo mentitur, « dum utrique nomini , quod eorum notioni» bus consentaneum est , accomodat ». Et Augustinus *Libro contr. Arianos* : » Verbum » si quaeratur quis est ille qui cum in for-

» ma Dei esset, non rapinam arbitratus est « esse aequalis Deo, respondetur nobis vo- » ce Apostolica, Christus Iesus. Ergo et illa » Divinitas huius humanitatis nomen accepit. » Item si quaeramus, quisnam sit factus obe- » diens usque ad mortem, mortem autem » crucis; rectissime respondetur: ille qui cum » in forma Dei esset, non rapinam arbitra- » tus est esse aequalis Deo. Ergo et ista hu- » manitas illius divinitatis nomen accepit ».

VII. In eumdem sensum Sanctus Pontifex Leo *Epist. X. ad Flavian. Cap. V.* » Pro- » pter hanc unitatem personae in utraque na- » tura intelligendam, et filius hominis legi- « tur descendisse de Coelo cum filius Dei » carnem de ea Virgine, de qua est natus, » assumpserit: et rursus filius Dei crucifixus, » ac sepultus, cum haec non in divinitate » ipsa, qua unigenitus, consempiternus, et » consubstantialis est Patri, sed in naturae » humanae sit infirmitate perpessus. Unde » unigenitum filium Dei Crucifixum, et se- » pultum omnes etiam in symbolo confitemur; » secundum illud Apostoli, si enim cogno- » vissent, numquam Dominum maiestatis cru- « cifixissent. Demum ut reliquos mittam, insignis est et Vigilii locus *Lib. II. contr. Eutychen*: » Quia enim Verbum cum carne ita

» est inexplicabili modo unitum, ut ipsum » Verbum caro dicatur, licet Deus non sit » caro; quia non est in carnem mutatum; » ut caro dicatur Deus, licet non sit in Dei- » tatis naturam mutata: sed Verbum propter » carnem suam homo sit, et caro propter » verbum Deus sit, et quidquid est propri- » um Verbi, sit commune cum carne; et » quidquid est proprium carnis commune cum » Verbo sit; quomodo Verbum et caro unus « est Christus, et una persona. Idcirco pro- « pter hanc communionem, quam salva na- » turarum proprietate, personae unio prae- » stat, et Verbum cum carne, id est Filius « hominis, legitur descendisse de coelo, cum » solum Verbum sine carne descenderit: et » Deus legitur sepultus, et in monumento » tribus iacuisse diebus, cum sola caro se- » pulta est ».

VIII. Atque haec quae de proprietatum communicatione dicerem habui; verum ut omne periculum in re satis abstrusa, et offendiculis plena caveatur, nonnullas e vestigio praestat subnectere regulas, quarum ad normam nostrae sunt exigendae locutiones.

I. *De eadem Christi Persona praedicari in concreto ea omnia possunt, quae utriusque naturae sunt propria.* Quum enim

Persona Christi utramque naturam sibi propriam facit, pronum hinc est, ut utriusque naturae praedicata de eodem recte possint enunciari. Excipias tamen I. propositionem istam: *Christus est creatura*, quae tametsi vera sit, et aliquando a Patribus usurpata, tamen ne vel Nestorianismum, vel Arianismum sapere videatur, cum adiuncto *secundum humanitatem*, vel *qua homo est*, pronuncianda, ut intelligatur id ad humanam Christi naturam referri, quae reipsa creata a Deo fuit, et in consortium Divinitatis assumpta. Excipias II. *Christus incoepit esse*, ad Arianismi suspicionem avertendam; Christi enim persona aliquando non fuisse blasphemabat Arius. Scio Patres ad hunc modum loquutos, et Augustinum quoque *Tract. CV. in Ioannem*: *Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse Mediator Dei, et hominum homo Iesus Christus*; sed ex ipso contextu patet, sanctos Doctores de Christi humanitate ibi loquutos, quocirca supervacaneum duxerunt id exprimere, quod perspicuum ex ipso erat sermone. Excipias demum *Christus est homo Dominicus*, quo autem sensu id expresserint Athanasius in *Expositione Fidei*; Chysostomus in *Homilia de Cruce*; Epiphanius in

*Ancorato* ; et Augustinus *Lib. II. de Serm. Domini in Monte* , aperte Angelicus Doctor explicat , nimirum propter humanam naturam , quam significat hoc nomen *homo* , non autem ratione suppositi. Sed ad haereticorum versutias cavendas omnino necesse est ab huiusmodi locutionibus abstinere , quae facile in pravum detorqueri possunt sensum. Unde Augustinus *Lib. III. Retract. Cap. XIX. Sed ubicumque haec dixi , dixisse me nollem.*

II. *Nomina abstracta humanae naturae praedicari nequeunt de Nominibus , quibus significatur persona.* Hinc dici non potest Verbum Divinum in Christo est humanitas. Quae enim sunt propria , non affirmantur, nisi de eo , quocum unum sunt , et idem ; natura autem humana non est idem cum Verbi persona. Unde et nomina abstracta unius naturae non possunt de abstractis alterius praedicari ; duae enim in Christo naturae non sunt unum et idem : proinde abstinendum ab huiusmodi propositione : *in Christo humanitas est Divinitas* , quam locutionem etsi aliquando veterum plerique usurpaverint , certe tamen abstractis nominibus nonnisi concreta significare voluerunt.

III. *Affirmantes inter et negantes Naturarum proprietates , id servandum discrimen ,*

*ut priores absolute dicantur, posteriores vero nonnisi expressa mentione ejus, de qua proprie efferuntur.* Quam ob rem *Christum mortuum* absolute dicimus; immo et hunc *Deum passum ac mortuum*, siquidem Christus revera Deus, Deique filius; et caro hominis, qui proprie mortuus est, propria Dei, ac Verbi caro, ac natura fuit. Ex adverso autem dici absolute non potest: *Christus vel Dei filius non est passus, non est mortuus* sine adiuncto illo secundum Divinitatem, vel qua Deus erat. Cuius discriminis ratio inde petitur, quod recte de una vel altera natura explicari affirmantes sententiae possunt; ubi ex adverso negantes enunciationes, sive quae trito apud scholasticos vocabulo malignantis naturae dicuntur, si absolute usurpantur, funditus a subiecto removent praedicatum; adeoque falsae sunt nisi vox aliqua adhibeatur, quae orationis infinitatem coerceant, sententiamque restringant. Quo pacto, ut Patrum exemplo utar, vera est propositio *homo moritur*, licet anima non moriatur; sed e contrario falsa est propositio *homo non moritur*, nisi addatur *secundum animam, quae immortalis est.*

IV. *Quae ambigua adeo sunt, ut vel ad humanum suppositum, vel ad humanam na-*

*turam referri possint*, *nonnisi cum explicatione sunt enuncianda.* Quin et ad haereticas cavendas versutias, quum quae uni naturae convenientia, aliena autem ab altera, de Christo praedicantur, nominatim eam concipere semper bonum est, cuius illa propria sunt, quemadmodum in more habuerunt Patres. Quo modo Ambrosius Lib. de Incarnat. Cap. V. *Resurgebat secundum carnem*, *quae mortua resurrexit*; *non resurgebat secundum Verbum*, *quod non resolutum fuerat in terram*, *sed apud Deum semper manebat. Ergo et moriebatur secundum nostrae susceptionem naturae*, *et non moriebatur secundum aeternae substantiam vitae.* Et apud Maximum Martyrem: Christus secundum naturam quam habet cum Patre communem, est « increatus, invisibilis, incircumscriptus; « immutabilis, conversionis expers, impati- » bilis, incorruptus, immortalis, omnium « opifex; at secundum nostram naturam i- » dem est creatus, patibilis, circumscriptus, « comprehensibilis; idem quidem, sed non » secundum idem, propter illa, ex quibus, « et in quibus habet esse.

V. *Quaecumque explicant Naturae cum Persona unitionem*, *a lege communicationis idiomatum excipiuntur.* Communicatio enim

idiomatum ab unitione derivat, adeoque nonnisi post unitionem locum habet. Lis tamen est inter scholasticos recte nec ne enunciari possit: *homo factus est Deus.* Simpliciter eam veram non esse Thomas, et Bonaventura eo probant, quod voce illa suppositum personaque significatur, quae in Christo nonnisi Divina est. Scotus ex adverso eamdem veluti antiquis Patribus usitatam, admittendam contendit; inquit enim Gregorius Nazianzenus Oratione XXXVI. *Quid magis humilitati hominis accidere potuit, quam ut Deo copularetur, et ex illa mixtione Deus fieret.* Ceterum adprime cavendum ne Nestoriano sensu eademmet proferatur, quasi homo jam constitutus merito suo ac virtute translatus in Dei conditionem putetur.

## CAPUT VII.

### *De Christo vero Dei Filio non adoptivo. Adversus Felicem, et Elipandum.*

I. Christum etiam qua homo est, proprium ac naturalem esse Filium Dei, non adoptivum Scripturae a summo ad imum plenissime testantur. De Filio enim Incarnato loquitur Baptista ( Ioan. III. 35. ) *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius.* Et mox: *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam*: ubi singulariter Christus homo, Filius dicitur, singulariter Filius non a Deo adoptatus, sed a Patre genitus; cui Pater dedit omnia, dedit seipsum, dedit aequalitatem secum. Hinc Augustinus *Tract. XIV. in Evangelium Ioannis*. « Pater diligit Fi-
« lium, et omnia dedit in manu eius. Adie-
« cit, omnia dedit in manu eius: ut nosses
« et hic qua distinctione dictum sit Pater
« diligit Filium . . . Pater diligit Filium,
« sed quomodo Pater Filium, non quomodo
« Dominus servum, quomodo u 'ounoıun

« quomodo adoptatum; itaque omnia dedit in « manu ejus. Quid est omnia? Ut tantus « sit Filius, quantus est Pater. Ad aequali- « tatem enim sibi genuit eum . . . Ergo « cum ad nos Pater dignatus est mittere Fi- « lium, non putemus aliquid minus nobis « missum quam est Pater. . . Si ergo aequa- « lis Patri missus est, non eum aestimemus » ex infirmitate carnis, sed cogitemus maie- « statem indutam carne, non oppressam carne ».

II. Porro autem Christus idem inquiens: *Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum*, ipse se discrevit a nobis, ipse suam naturalem, et propriam filiationem a nostra distinxit, aliter sibi, aliter nobis Patrem esse Deum ostendens. Unde Cyrillus Hierosolymitanus Catech. VII. *Dicebat confidenter: vado ad Patrem meum, et ad Patrem vestrum. Non dicit ad Patrem nostrum; sed dividens, primum dicit, quod erat proprium, ad Patrem meum: qui eius Pater est natura; deinde subdit Patrem vestrum, qui est per odoptionem.* Et infra: *Hominum itaque Pater est καταχρηστικῶς; Christi vero solum natura Pater est Deus, non per adoptionem; et hominum quidem in tempore, Christi vero ante tempora.* Et Augustinus *Tract. XXI. in Ioannem.* « Num-

« quam auditum est de ore Domini nostri » Iesu Christi, cum ad discipulos loquere- « tur, dixisse illum de Deo summo Patre » suo, Pater noster, sed aut Pater meus, « dixit, aut Pater vester : Pater noster, non « dixit. Usque adeo ut quodam loco poneret « haec duo, vado ad Deum meum, inquit « et Deum vestrum; quare non dixit, Deum « nostrum? Et Patrem meum dixit, et Pa- « trem vestrum; non dixit nostrum. Sic « iungit ut distinguat : sic distinguit ut non « sejungat. Unum nos vult esse in se, u- « num autem Patrem et se ».

III. Accedit ipsum longe clarissimum Patris testimonium, nempe vox illa semel iterumque intonata, atque in baptismi humilitate, et mortis claritate uniformis : *Hic est filius meus dilectus*, ut sive in claritate Deitatis, sive in humilitate carnis aeque unum singulariter Filium agnoscamus, quem paterna vox solum praedicat, filium pronunciat, et suum, et dilectum declarat.

IV. Praeterea Cyrillus *Libro* 1. *in Evang. Ioannis*, naturalem Christi filiationem et ex illo probat : *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*. « Observandum autem « rursus, Patrem suum vocare unice, ac « peculiariter Deum, puta quod ipse etiam

« solus secundum naturam sit ex ipso et vere genitus. Nam si rationem istam non habet, sed ita nobiscum est Verbum Filius, ut unus ex nobis, adoptione nimirum, et sola Patris voluntate, quamobrem quaeso communem illam, et omnibus propositam gloriam solus sibi arrogat cum ait; nolite facere domum Patris mei, non autem potius domum Patris nostri? Hoc enim dicere magis forsitan consentaneum erat, si se unum ex iis qui natura non sunt Filii Dei, agnoscebat. Cum autem Verbum seipsum non inter Filios per gratiam adscriptum, sed ex substantia Dei ac Patris esse cognoscat, extra numerum aliorum se collocat, Deum suum Patrem nuncupans. Decet enim eos qui in filiorum numerum vocati sunt, et ascititia dignitate praediti, ita Deum compellare precando; Pater noster qui es in Coelis. Unus autem ac solus ex uno existens unigenitus, suum Patrem Deum merito nuncupaverit. »

V. Ne autem ad solam Deitatem haec pertinere obtendant haeretici, clamat Apostolus (ad Rom. VIII. 32.) *Proprio filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ubi proprius, idest naturalis exertissime dicitur Filius, qui pro nobis om-

nibus morti est traditus, mortem autem Christus, qua homo est, subiit. Unde Hadrianus Pontifex in Epistola ad Episcopos Galliae, et Hispaniae: *Scimus enim quia non est traditus secundum divinitatem, sed secundum id quod homo verus erat, illum nimirum qui traditus erat, id est hominem.* Id quod antehac animadverterat S. Hilarius Lib. VI. de Trinitate: *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?* Quae quidem, licet contra Arianos Pictaviensis Episcopus protulerit, una tamen simul Adoptianorum iugulum petunt.

VI. Huc facit et Christi oratio (Ioan. XVII. 1.) *Pater clarifica Filium tuum; ut Filius tuus clarificet te.* Plane de clarificanda humanitate hic agitur, et quidem per Crucem; et tunc Filius Patris singulariter dicitur, et Pater ejus specialiter Deus invocatur. Et iure quidem suo suam sibi claritatem postulat redintegrari, qui natura filius est. Et revera Cruce ipsa clarificatus est, quum populus ipse, qui Cruci eum affixerat, exclamavit: *Vere Filius Dei erat iste. Qui Cruci affixerant*, inquit Hilarius Lib. III. de Trinitate, *vere Dei Filium confitentur. Praedicationi consentit effectus. Dominus dixerat: Clarifica Filium tuum. Non solum nomine conte-*

*status est esse se filium*, *sed et proprietate*, *qua dicitur tuum. Multi enim nos filii Dei*, *sed non talis hic Filius est. Hic enim et verus*, *et proprius est Filius*; *origine*, *non adoptione*; *veritate*, *non nuncupatione*, *nativitate*, *non creatione*. Quid amplius nunc quaerunt Elipandiani? » Pater de Coelis intonuit ( verba Synodi Francofordiensis usurpo in Epistola Synodica ad Episcopos Hispaniae ) » et eum Filium suum nominavit. » Christus de terris in Coelos clamavit, et » se Filium nominavit, et vos cum Iudaeis » adhuc increduli estis? Latro in Cruce eum » dominum nominavit; Centurio morientem » eum videns clamavit: Vere filius Dei erat » iste. Sed et daemones eum vere Filium Dei « summi cum sua legione proclamaverunt, » sicut in Sanctis legitur Evangeliis; et Eli-» pandus cum sua legione negat adhuc eum » vere Filium Dei esse? »

VII. Nec minus splendida est illa Christi de se testificatio. *Pater manifestavi nomen tuum hominibus*, et alibi, *Vnigenitus Filius*, *qui est in sinu Patris*, *ipse enarravit*. Enarravit utique Christus homo; at idem est Filius, et Unigenitus, et in sinu Patris. Cum unigenitum audis, iam non adoptivum, sed naturalem audis. Adoptivus enim, nec geni-

tus est, nec unigenitus. Quum in sinu Patris audis, non alium quam natura Filium audis, ex sinu nempe Patris scaturientem, in sinu Patris conquiescentem, inde existentem, ibi consistentem: Adposite Chrysostomus *Homil. IV. de Incompr.* » Unigenitus Filius qui est » in sinu Patris, ipse enarravit. Primum Uni- » genitus dixit, deinde Filius: cum enim » propter nominis communitatem, gloriam » eius plerique minuant, unum ex hoc vul- » gari filiorum numero esse arbitrantes; no- » men etenim filii commune omnium est; hinc » quod eius praecipuum est et peculiare, ac » nemini e ceteris tribui potest hominibus, » id est, unigenitus, ante posuit, *cet.* Filii » nomen et hominibus datur et Christo, sed » nobis abusive, illi proprie. At vero unige- » niti nomen, eius unius est; nec ulli e ce- » teris vel abusive convenit. Ut igitur ab ea, » quae nemini congruat nisi uni ipsi appel- » latione, alteram quoque illam multitudinis » propriam, eius esse propriam arbitreris, ea » propter primum Unigenitus, post Filius » dixit. Sed si minus haec tibi sufficiant, in- » quit, tertium illud addam, crassum quidem » atque humanum, verum efficax satis, ut » vel humi iacentes homines ad intelligendam

» Unigeniti gloriam erigat. Quodnam illud » est? Qui est in sinu Patris ».

VIII. Praeterea quid magis imperatorium hac Christi fiducia. *Ego autem dico vobis quoniam qui irascitur fratri suo, temere, reus erit iudicio?* » Vidisti perfectam (Chrysostomus est *Homil. XVI. in Math.*) utique » potestatem, vidisti dignitatem, quae latorem certe legis deceret. Quis enim Prophetarum umquam sic locutus est, quis iustorum, quis Patriarcharum? Nullus omnino. » Nam illi per singula saepius inferebant: » Haec dicit Dominus. Sed non ita loquitur » et Filius. Illi enim Domini verba, hic vero Patris annunciat. Cum autem dico Patris, sua utique dico; Mea enim inquit » tua sunt, et tua mea. Et illi conservis suis » loquebantur, hic servis. »

IX. Demum cruces, et contumelias, et dolores Christi non silent Scripturae, cur vero adoptionis ignominiam tantum silent? hanc tandem argumentationem urget Augustinus contra Secund. Manich. cap. V. *Lege itaque Scripturas, nusquam invenies de Christo dictum, quod adoptione sit Filius Dei. De nobis autem saepissime legitur.* Quo facit, et Synodus Francofordiensis in Epistola, quam supra memoravimus: » Scimus quoniam

» filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut
» cognoscamus verum Deum, et simul in verbo
» filio eius. Hic est verus Deus; et vita ae-
» terna. Tu vero quisquis es, qui Christum
» praedicas adoptivum, unde tibi sensus iste
» venisset, voluissem scire: unde hoc nomen
» didicisses, ostende. Patriarchae nescierunt,
» Prophetae non dixerunt, Apostoli non prae-
» dicaverunt, sancti tractatores hoc nomen ta-
» cuerunt, doctores fidei nostrae non docuerunt:
» forte in tertium coelum raptus fuisti, et ibi
» audisti arcana verba, quae huc usque San-
» ctae Dei Ecclesiae ignota essent, si tu in
» tertium Coelum raptus non esses ».

X. Sed huc usque adducta Scripturarum testimonia sufficiant; nam ad aliam nunc sermo noster convertitur partem, ad rationum nempe expendenda momenta, quibus naturalis Christi Domini filiatio adversus haereticam pravitatem adseritur, adoptiva proscribitur. Et primo non adoptatur nisi extraneus in filium; at Christus etiam qua homo, numquam extraneus fuit a Deo; quippe filius Dei sempiternus carnem induens, non dissiliit a Patre, exivit a Patre, sed mansit in Patre; naturam alioqui extraneam sibi propriam fecit, non tamen se naturae illius proprium fecit; Verbum conglutinavit sibi Deo carnem, non abalienavit se a Deo propter carnem. Ergo

Verbum Deus etiam cum carne sua extraneus non est a Patre, ut adoptari ab eo possit. Et natura quidem carnis sive humanitatis, nonnisi universim spectata, extranea a Deo est, eoque adoptari potest; sed haec caro, seu humanitas individua quam Verbum adsumpsit, extranea numquam fuit, quia Verbum suo sibi in sinu illam circuminduit. Adoptari ergo ea numquam potuit, quae numquam aliena fuit. Accedit praeterea quod non natura adoptatur, sed persona; si ergo secundum humanitatem adoptivus foret Christus, et secundum Deitatem proprius Dei Filius, sequeretur ut unus idemque, uni eidemque Patri comparatus, et alienus esset, et proprius; id autem pugnat.

XI. Porro si secundum Deitatem naturalis, secundum humanitatem adoptitius est Dei filius, duplex ergo est Filius, et duplex persona. Soboles ergo est Nestorii Elipandus, et in adoptionis nomine totam a fundamentis evertit Dei cum homine in una persona coalitionem. Unus enim unius, idem eiusdem Patris non potest esse naturalis et ascititius filius; proprius et improprius; verus et simulatus; de substantia genitus, et de sola voluntate adoptatus. Ergo una quum sit Christi etiam secundum humanitatem persona Divina,

seu persona filii naturalis, non potest in eo esse persona filii quoque adoptivi. Deinde id etiam ex filii nomine pronum est colligere; etsi animae immortalis parens non sit nisi opifex Deus, totius tamen hominis, utique non exanimis, parens uterque est homo, et utriusque parentis filius est totus homo. Ergo post incarnationem, totius filii Pater est Deus, idest Verbi cum carne; et totus filius, idest Verbum cum carne, filius est Dei proprius. An poterit homo pater esse proprius hominis, etiam ut animati, licet animam non generet: nec poterit Deus Pater esse proprius Verbi, ut incarnati, etsi carnem de sua substantia non generet? An poterit corpus animam, nec poterit Deus corpus et animam trahere ad se. Atque ita quidem adversus Felicem et Elipandum Sanctus Paullinus Aquileiensis Episcopus disputabat. *Numquid* ( inquit Lib. V. ) *impotens est Deus in se perficere, quod potens est in uniuscuiusque hominis nativitate efficere? Aut ergo temetipsum divide in duos filios, proprium ex carne, et adoptivum ex anima parentibus tuis: aut si hoc absurdum tibi fore videtur, concede Deo Patri ea lege, vel etiam potentiore, proprium et vere filium ex Virgine natum habere potuisse, qua te vis tuorum parentum proprium esse filium.*

XII. Christus veritas est, ut ipse de se in Scripturis testatur, nam et qua Deus, aeterna atque incommutabilis est veritas, et sapientia, et iustitia, et qua homo, factus est nobis veritas a Deo, et sapientia, et iustitia. At adoptio imitatio veritatis est, immo figmentum ac mendacium, non veritas, nam verus Filius est qui nascitur, adoptitius autem ementitur nativitatem, illudit veritatem, supposititius est, non verus, nuncupativus non naturalis. Ergo tam abhorret Christus ab adoptione, quam veritas a falsitate. » Dicis et vere dicis » ( ipsissima sunt Paullini Aquilejensis verba Lib. III. contra Felicem ) » » Christus veritas est non vult nos aliud de » se credere et praedicare, quam id quod » est; si veritas est Christus, nullum utique » figmentum est in eo; et si nullum figmen- « tum est in eo, utique verus est Filius. Et » adoptivus dici non potest, quia videlicet » adoptio quaedam est voluntatis significatio, « non nativitatis veritas: vult enim habere » in nomine, qui adoptat sibi filium ex quo- » libet alieno, illum quem non habet pro- » prium in natura. Iuxta Psalmistam vero, » veritas de terra orta est; verus utique filius » Dei qui de terra nostrae naturae, id est, » de Virginali carne ortus est, et natus ve-

» rus Deus, et verus homo; hoc igitur quod
» est, id est, veritas, de eo credimus, et
» praedicamus. Decuit itaque et vere decuit,
» ut in Dei filio proprietatis esset nobilitas,
» et veritatis dignitas, non adoptionis com-
» munio cum ceteris, vel nuncupationis fra-
» gilitas inter ceteros; quia nullum figmen-
« tum appellationis in Christo qui est veri-
» tas, et in quo omnis est plenitudo Divi-
» nitatis ».

SCHOLION. Quamvis *formam servi* Filius Dei susceperit, idest naturam humanam, cui ex essentia inhaeret servitus, quia creata est; eoque nomine *servus* ab Isaia dicatur (XLIX. 5.): *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi*; Patrique suo subiectus fuerit, ad opera etiam servorum ex charitate se demittens, et factus sit obediens usque ad mortem; non tamen ex conditione servus est quandoquidem huiusmodi servitus originem habet ex peccato, cuius in poenam est invecta. Hinc Sanctus Leo Serm. II. in Nativ. Dom. Cap. III. *Assumpta est de Matre Domini natura, non culpa. Creata est forma servi sine conditione servili: quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut et veritatem susciperet generis, et votum excluderet vetustatis* Id quod ex eo adversus Arianos Faustinus adstruit, quod a servitute nos Chri-

stus liberaverit; an quo quo iure libertatem conferre is potest qui conditione est servus (25)? Nec porro servilis ista conditio potest umquam cum dignitate filii Dei convenire. Nam qui ita servus est, nequaquam eadem censetur conditione cum eo, cui est subiectus, nec ius habet ad hereditatem. Hinc Apostolus ( ad Hebraeos I. ) inter Christum et Angelos discrimen in eo constituit, quod hi servi sint, et ministri Dei, ille vero Dei filius: *Tanto melior Angelis effectus quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te? Et ad Angelos quidem dicit, qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* Servilis itaque conditio cum Filio Dei pugnat. Christus autem homo revera Dei filius est; repugnat igitur ut conditione servus appelletur.

(25) Conferas Augustinum *Tract III. in Ioannem*. Hadrianum I. in *Epist. ad Episc. Hispan.* Paullinum Aquileiensem *Lib. IV.* Theodoretum in *Cap. V. Epist. ad Ephes.* Athanasium *Orat. III. Contr. Arianos.* Ioan. Damascenum *Lib. III. de Fide Orthodoxa Cap. XXI.*

## CAP. VIII.

### *De Christo mediatore.*

I. Mediator noster Christus Deus simul et homo, non per hoc Mediator est, quod est aequalis Patri; per hoc enim quantum Pater, tantum et ipse distat a nobis: et quomodo erit mediatio, ubi eadem distantia est? » Per hoc ergo Mediator ( inquit Augustinus *Lib. de Pec. Orig. Cap. XXVIII.* ) per quod homo; inferior Patre per quod nobis propinquior; superior nobis per quod Patri propinquior. Quod apertius ita dicitur, inferior Patre, quia in forma servi; superior nobis, quia sine labe peccati. Per humanam igitur naturam Christus Mediatoris exercuit officia, satisfecit Patri, Sacrificium obtulit, rogavit, passus est, ac mortuus; quamvis actiones illae, et officia quibus functus est, infinitam profecto dignationem, aestimationemque non ex humanae conditionis modulo, sed ex adiuncta Divinitate consequuta sunt. Verum tamen ipsam Mediatoris Personam ex duabus naturis constare oportebat, Deumque simul esse et hominem ut haberet aliquid si-

mile Deo, aliquid simile hominibus; ne in utroque similis hominibus, longe esset a Deo; aut in utroque Deo similis, longe esset ab hominibus, atque ita Mediator non esset.

II. Quum ergo longe esset a nobis (subdit Augustinus) immortalis et iustus a mortalibus et peccatoribus, descendit ad nos ut fieret nobis proximus, ille longinquus. Et quid fecit quum haberet ipse duo bona iustitiam, et immortalitatem, nos duo mala, iniquitatem et mortalitatem? Si utrumque malum suscepisset, par noster factus esset, et liberari nobiscum opus haberet. Quid ergo fecit ut esset proximus nobis? duo attende: iustus est, immortalis est: in duobus tuis malis, una est culpa, altera est poena; culpa est quod iniustus es, poena est quod mortalis es: Ille ut esset proximus, suscepit poenam tuam, non suscepit culpam tuam. Suscipiendo poenam, et non suscipiendo culpam, et poenam delevit, et culpam. Cui adprime consentaneus est Gregorius Papa, *Moral. Lib. XXXI. Cap. XIII.* « Ipse adiuvit « hominem factus homo; ut quia puro homi- « ni via redenndi non patebat ad Deum, via « redeundi fieret per hominem Deum. Lon- » ge quippe distabamus a iusto, et immor- « tali nos mortales et iniusti. Sed inter im-

« mortalem iustum et nos mortales iniustos,
« apparuit Mediator Dei et hominum morta-
« lis et iustus, qui et mortem haberet cum
« hominibus, et justitiam cum Deo; ut quia
« per ima nostra longe distabamus a sum-
» mis, in seipso uno iungeret ima cum sum-
« mis, atque ex eo nobis via redeundi fie-
» ret ad Deum, quo summis suis ima no-
» stra copularet ».

SCHOLION. Igitur Christus non est Mediator secundum humanam naturam, quatenus a Deo praecisa intelligatur, uti Stancharo lutherano visum, ita enim infinitam exhibere haud potuisset satisfactionem; neque Mediator est secundum naturam Divinam, uti quidam de Lutherano grege blasphemarunt, quandoquidem natura Divina non potest satisfaciendo subiici; neque demum Mediator est secundum utramque naturam simul, uti Calvinus effutiebat, nam natura Divina muneribus Mediatoris fungi non poterat; puta supplicare, sacrificium offerre, et hoc genus alia.

SCHOLION. Duo ergo sunt in Mediatore Christo animo discernenda, substantia nempe ipsa Mediatoris, tum et opera illius, atque officia. Si substantiam spectes, certum fide est ex naturis duabus constare

Mediatorem, ut iam ex Patribus demonstratum; si vero opera, duo rursus distinguenda, tum actio ipsa, tum et ejusdem officia, atque dignitas, a qua meritum, pretiumque sumit. Quoad actiones, hae nonnisi solius humanae naturae sunt, nam satisfacere, offerre sacrificium, rogare, pati, mori ad humanam naturam tantum pertinent, a qua solum proficiscuntur. Dignitas vero atque officia earumdem, eidem humanae naturae sunt tribuenda, sed quatenus est Divinitati coniuncta. Hinc levi negotio dissidentes quandoque Scripturas ac Patres quisquis conciliabit. Qui enim Christum vel in utraque natura, vel secundum Divinam potissimum affirmant Mediatorem, profecto vel substantiam Mediatoris respiciunt, vel actionum dignitatem, aestimationemque, quae quum infinitae sint, virtutem non ex humana conditione, sed ex adjuncta Divinitate consequuntur. Qui vero Christum, qua hominem, Mediatorem existimant, ad meras ipsas Mediatoris functiones et opera respiciunt. Atque hac cautione, haereticorum nullum est argumentum, quod non dissolvetur.

## SECTIO I.

### *Dei, et hominum Mediator Christus vere et cumulatissime Divinae Iustitiae pro nostris peccatis satisfecit.*

I. Praecipuum, maximumque Christi Mediatoris beneficium, in homines collatum, id fuit, ut poenas nostris peccatis debitas ipse in se voluntarie susciperet, integramque ac plenissimam satisfactionem Deo Patri persolveret. Scriptum est Isaiae ( LIII. 4. ) *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra . . . Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur.* Hinc Apostolus Ioannes ( Ep. I. 2. ) *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* και αυτος ιλασμος εστι περι των αμαρτιων ημον, *non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et Paullus ad Romanos ( III. 24. ) *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per*

*fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum.* Huc et Scripturae spectant, magnum illud pretium commemorantes, quo a Christo Salvatore nostro redempti sumus, sanguinem scilicet eius. *Magno pretio empti estis*, inquit Paullus ad Corinthios ( VI. 20. ) et Petrus in sua prima Epistola ( Cap. I. 18. ) *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, et incontaminati.* Cui consonat Ioannes in Apocalypsi ( V. 9. ) *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Ubi Graecus textus habet. και ηγορασας; αγοραζειν autem est *emere soluto pretio.* Adhuc autem expressius ipse Dominus Noster Iesus Christus (Matth. XX. 28.) venisse Filium hominis dicit, *dare animam suam redemptionem* λυτρον *pro multis.* Et iterum Paullus in Epistola prima ad Timotheum ( II. 5. ) *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem* αντιλυτρον *semetipsum pro omnibus*; rursumque ad Galatas ( III. 13. ) *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et ad Ephes. ( I. 7. ) *In*

*quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.*

II. Porro enim universum hominum genus peccato erat inquinatum ac perditum; et universalis naturae detrimento quae interminum aliquid praesefert, nec intra limitem privati cuiusdam valoris cohiberi se sinit, quae natura alia privato coercita modulo, suisque circumscripta finibus aequiponderabat? Ergo omnium vitae ab interitu vindicandae, et iusto pretio redimendae idonea non erat, nisi vita ipsa primigenia Verbi Dei, ut origo inexhausta vitae, omnium vitae praeponderaret, omnium mortem exciperet, et exhauriret, omnium mortem de redundantia vitae suae extingueret, vitam sibi profligata morte, omnibusque in se, et per se copiosiorem, et deinceps inextinctam refunderet. Egregie ad rem Cyrillus *Lib. III.* de adoratione : *Unus enim pro omnibus mortuus est, ο παντων ανταξιος, idest, qui pro universis iustum pretium erat : et animam suam ανταλλαγμα idest permutationem pro nostra dedit.* Et rursus in Evangelium Ioannis Libro XI. *Unum quippe oportebat pro cunctis mori, qui vitae omnium instar erat: των της απαντων ζωυς ονταξιον, ut tam mortuorum, quam vivorum imperium acciperet.*

Et demum in Dialogo de Incarnatione Unigeniti: *Carnem quippe suam pro omnium carne persolvens δωρον αληθως ανταξιον, donum revera aequivalens, animam vero suam omnium animarum αντιλυτρον, idest redemptionis pretium dedit.*

III. Sed quandoquidem in uno Cyrillo tantum percepimus solatii, fortasse fastidiosum non erit ex antiqua et perpetua Ecclesiae traditione pauca veterum Patrum testimonia corrogare. Sed Athanasii insignem locum ex libro de Incarnatione Verbi Dei supra recitavimus, quem omnino conferas. Nunc vero e Graecis unum addo Sanctum Basilium in Psalm. XLVIII. *Inventum unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium nempe sanctus, et omni pretio superior pretiosus Sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit, quamobrem pretio sumus empti.* Quod autem ad Latinos pertinet, ita in primis Cyprianus Lib. de lapsis: *Veniam peccatis, quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris.* Accedit S. Hilarius in Ps. CXXXV. *Redemit nos, quum se pro peccatis nostris dedit, redemit nos per sanguinem suum,*

*per passionem suam, per mortem suam, per resurrectionem suam. Haec magna vitae nostrae pretia sunt. Magno enim, ait Apostolus, pretio redempti estis, et redempti quidem ab inimicis, a diabolo, ab Angelis eius, a filio perditionis, a principibus aëreis, a mundi potentibus, ab inimica morte.* Demum ne in re testatissima frustra operam consumere videar, Ambrosii tantum, et Augustini suffragia addam, quorum ille Lib. VII. in Lucam: *Idoneus sui operis aestimator magno pretio nos redemit, sicut Sanctus Apostolus dixit*: Empti estis pretio magno, *et bene magno, qui non estimatur aere, sed sanguine, quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos sanguine liberavit.* Augustinus vero in Ps. XCV. » Tenebantur homines captivi sub diabolo, et daemonibus serviebant sed redempti sunt a captivitate: vendere se potuerunt, sed redimere non potuerunt: venit Redemptor, et dedit pretium: fudit sanguinem suum: emit orbem terrarum. Quaeritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenite, quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? »

VI. Ut autem ad alteram partem nostra iam nunc convertatur oratio non par tantum, et

aequale debitis nostris fuit magnum illud quod Christus persolvit pretium, sed ea longe superavit. Clamat enim Apostolus (ad Rom. V. 15.) *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Et mox: *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Quo Christus ipse respexit inquiens (Ioan. X. 10.) *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

V. Id porro ut dilucidius fiat, non abs re puto rationum heic summa capita perstringere, quae huc illuc toto hoc de Incarnatione libro sunt dispersa. Primo autem naturae rationali universae non tantum aequiponderat, sed longe praeponderat Verbi Incarnati maiestas; ergo quum se pro illius debito haec impenderit, non aequavit tantum satisfactio debitum, sed longe superavit. Quum enim humanitati, sanguini, cruci, morti infinitum accedat pretium et dignitas, ab inserta, et inexplicabiliter implicata Deitate, non aequatur tantum, sed longo post intervallo relinquitur natura rationalis universa. II. Vita Verbi primigenia, incorruptibilis, omnium vitae repensandae, omniumque morti exterendae non tantum par est, sed multo praepollet.

Quid enim omnium creaturarum vita, si cum vita Verbi illam compares? Ergo quum pro vita hominum, ipsa se, instar immensi cuiusdam pelagi exaestuans vita principalis effuderit, profecto tantae vitae pretium, tantique pretii magnitudo, non debiti rationes tantum, sed admirationem omnem exuperat obruitque. III. Copiosiorem humano generi Redemptor Christus reddidit sanctitatem, dignitatemque; ergo et Patri refudit honoris copiam uberiorem, quam peccatis decrescere visum erat. *Ego veni*, inquit Christus, *ut vitam habeant et abundantius habeant*, vitam utique qua sancte in hac vita vivitur, qua et beate in altera vita immortaliterque vivitur, magnificentius quidem per Christum, quam ante hominis casum. Ergo si per Christi crucem nostra nobis tanto cum foenore pensata sunt dispendia sanctitatis, multo etiam uberius sua ipsi, sua Deo Patri refusa sunt damna honoris.

VI. Demum vero, cui non comperta Patrum constans ac vulgata doctrina de Christi ultra debitorum et offensarum rationem satisfactione exuberantissima, ut amplius in coacervandis eorumdem suffragiis immorandum esset nobis? Unus satis sit, omnium nomine Chrysostomus ( *Hom. X. in Epist. ad Rom.* )

» Non enim quantum indigebamus ad pecca-
» ti interitum . tantum accepimus modo ex
» ipsa gratia, sed et multo amplius. Nam et
» liberati sumus supplicio, et vitiositatem
« omnem deposuimus, et de integro regene-
» rati sumus, et resurreximus sepulto vetere
» homine, et redempti sumus, et sanctifica-
» ti, et in adoptionem adducti, et iustificati,
» et fratres effecti Unigeniti, et cohaeredes,
» et in eamdem corporis unitatem redacti, et
» in ipsius carnem censemur, atque ut cor-
» pus capiti, sic illi uniti sumus ». Et mox:
» Multo enim plura iis, quae debebamus, persolvit Christus; atque adeo tanto plura, quanto mare immensum ad pusillam guttam collatum maius esse possit ». Ergo institutum sermonem claudamus, simulque gratias Domino Redemptori ac Salvatori nostro agentes plaudamus. Plaudamus Deitati illius, quae naturam nostram insidens, omnes debitorum nostrorum partes explevit. Plaudamus Sanctitati illius, quae nostrae naturae illigata, adeo exuberavit, ut omnium peccatorum colluvionem operuerit, ac superstagnaverit; plusque suaveolentiae Deo Patri adoluerit, quam ex nostris sordibus exhalabatur foetoris.

## SECTIO II.

## *Dei et hominum Mediator Christus in morte subeunda liber omnino fuit. Libertas praecepto conciliatur.*

I. Quamvis Christus Dominus passionem ac mortem subierit a Patre decretam, definitamque, secundum id quod in Evangelio scriptum est ( Lucae XII. 22. ) *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: verumtamen vae homini illi, per quem tradetur.* Et ( Ioan. XIV. 31. ) *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite eamus hinc.* Et Apostolus ad Philippenses ( II. 8. ) *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Tamen nonnisi tunc mortuus est, quum ipsemet mori decrevit, mortemque non tam aliena vi illatam, quam voluntariam obiit. Scriptum est enim ( Isaiae LIII. ) *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et ( Ioan. X. ) *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Tum et ( Lucae

XIII. ) *Dicite vulpi illi* ( Herodi scilicet qui eius vitae insidiabatur ) : *ecce eiicio daemonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consumor. Verumtamen oportet me hodie, et cras, et sequenti die ambulare : quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem.*

II. Sed quid hoc, quod Christus nulli obnoxius peccato, habensque a Patre de morte subeunda praeceptum, liber tamen fuerit? Non heic diutius tricabor. Quo enim pacto Christi libertas cum praecepto Patris, atque impotentia peccandi sit concilianda, brevi ac dilucido sermone expediam. Et quidem posse peccare, vel non posse, nihil quidquam ad libertatis essentiam pertinet; peccandi enim potestas defectus libertatis est, et tam ipsa, quam tota creaturae mutabilitas adhaerescit quidem corruptae hominum naturae, sed ut macula, ut labes, ut imperfectio, ut aegritudo. Libertas autem per se, et in genere suo spectata omnino expedita, atque absoluta ab huiusmodi inquinamento est; et quemadmodum corruptibile corpus si quum incorruptione donatur, perficitur non deficit; ornatur non dedecoratur; augescit non deteritur; ita humana libertas peccabilitati addicta, si impeccabilis fiet, tunc demum perficitur. I nunc,

et dicito si animus est interceptam libertatis in Christo laudem ex eo, quod excisum mutabilitatis ac peccabilitatis habeat naevum. II. Libertas considerari haud debet in iis quae circa finem versantur; nulla enim circa bonum in communi, et Deum intuitive visum persistit arbitrii libertas; sed in mediis tantum quae ad finem tendunt. Media autem spectari possunt vel absolute et in se, vel quatenus aliqua praeordinatione sunt cum ultimo fine connexa. Porro ad libertatis naturam sufficit ut media in se spectata obiectum sint indifferens voluntati nostrae, licet in ordine ad aliquod Divinum decretum praetermitti non possint. Ex quo pronum est intelligere, Christum Dominum plenissima libertate fuisse mortuum; siquidem mors in se spectata obiectum indifferens Christi voluntati erat, quum plura alia ipse ad finis consecutionem eligere potuisset; tametsi eadem spectata sub ratione praecepti non poterat, nisi violato ordine finis vitari, quod ad libertatis essentiam minime pertinet. Patet id quam luculenter in Angelis. Liberi utique sunt beati illi spiritus ad hoc, vel illud exercendum ministerium, quum nulli sint necessitati addicti; si autem illis aliquod Dei mandatum superveniat, ut quum missus est Angelus Ra-

phael ad Tobiam, et Gabriel ad Virginem Mariam, proculdubio Divinum mandatum exequi debent, neque enim possunt Creatori repugnare, cui iam immutabiliter adhaerent; et tamen id ipsum libere adeo ut per hanc obedientiam mereri possint, nisi in termino essent viae ubi nullus est merito locus.

III. Accedit et id praeterea, quod licet Patris praecepto ad mortem subeundam tenebatur Christus, ipse sibi tamen id sanxerat praeceptum; et libere ac indifferenter una cum Patre ipse voluit, quum posset non velle, carnem induere, et crucem adire. Quae sane indifferentia licet propria sit Verbi, ut quae Incarnationem ipsam anteiverit, aeternique Patris, et Filii decretis implicata sit; quia tamen tam libere, et indifferenter Deus Verbum crucem subiit in tempore, quam libere indifferenterque illam subire ante saecula decreverat, ideo Patres plurimum in ea momenti collocarunt. Re enim vera quemadmodum qui proposuit sponte aliquid se facturum, et postea perficit, non necessario perficit, sed libere, quia libere proposuit; ita libere moritur Christus, quia qua Deus ante saecula libere proposuit mori; factus homo in tempore, idem semper propositum voluntatis retinuit, semper liber, semper indifferens.

IV. Quod ut eliquatius fiat, ipsos modo audire Patres praestat. Sane Ambrosius, quod voluntarius ad crucem accesserit Christus, Divinae Verbi voluntati principaliter assignat, quae una est cum voluntate Patris; quae et ita accessit, ut posset discedere; quae demum suam sibi humanam conformabat voluntatem. *Scriptum est* ( inquit in Psal. XXXIX. ) *non solum in capite, sed in omni legis complexione, venturum hominem ad conservandum hominum genus, qui omnia vellet, quae Deus vellet. Unde intelligis, quia Divinitatis eiusdem est, qui eiusdem est voluntatis. Unde etiam ad sacrificium passionis voluntarius accessit, meritoque praedixit, voluntarie sacrificabo tibi.* Et rursus alibi: *Quod Christus ipse se obtulit, aut Deus illum tradidit, unum est, quia amborum una voluntas est.* Et iterum Libro primo de Spiritu Sancto Cap. XII. *Tradidit ergo Pater Filium, et Filius ipse se tradidit; tradidit Pater volentem, tradidit offerentem.* Suffragatur Ambrosio Augustinus Lib. IV. de Trinitate Cap. XIII. ubi Christum, ait, vitam mortalem non deseruisse invitum, *sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Dei Verbo ad unitatem commixtus est homo.* Itemque in Tract. LXVIII. in Evangelium

Ioannis: *Quando Christus animam posuit? quando Verbum voluit; principatus enim in Verbo erat; ibi potestas erat, quando poneret caro animam, et quando sumeret.*

V. Adhuc expressius Leo magnus Serm. XVII. « Tradi Dominum passioni, tam fuit « Paternae, quam ipsius voluntatis. Ut enim « non solum Pater relinqueret, sed etiam « ipse se quadam ratione desereret, non tre- « pida discessione, sed voluntaria cessione ». *cet.* Et Bernardus ( Serm. in Fer. V. hebd. Mai. ) » Quia voluit, oblatus est. Non modo « voluit, et oblatus est, sed quia voluit; so- « lus nimirum potestatem habuit ponendi a- « nimam suam. Nemo eam abstulit ab eo. « Solus potestatem habuit ponendi, qui so- « lus facultatem habuit aeque liberam resu- « mendi, imperium habens vitae, et mor- « tis. Digna ergo charitas tam inestimabilis, « humilitas tam admirabilis, patientia tam « insuperabilis, digna plane accipere fortitu- « dinem, facere ad quod venit, tollere pec- « cata mundi ». Pariter Anselmus Lib. II. Cur Deus homo Cap. XVIII. *Ad hoc enim valuit in Christo diversitas naturarum, et unitas personae, ut quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, faceret Divina, et si Divi-*

*nae minime conveniret , exhiberet humana : et non alius atque alius , sed idem ipse esset , qui utrumque perfecte existens , per humanam solveret , quod illa debebat : et per Divinam posset , quod expediebat.*

VI. Adhuc autem maiori eloquentiae strepitu concrepant Graeci. Cyrillus in primis Lib. II. in Evangelium Joannis : *Ait missum se a Deo et Patre , ut Verbum a Genitoris mente prodiens quodammodo , et voluntatem suam adimplens , non ut alienae voluntatis executor assumptus , sed ipse cum sit Verbum vivens et manifestissima Patris voluntas, prompte servans eos qui perierunt . . . . . Cum ergo Filius sit bona Patris voluntas perficit opus eius , salutem tribuens credentibus in eum.* Vide ut ex Cyrillo voluntas Patris eadem et Filii est , et Filius ipsamet voluntas est , non ergo Dei Patris voluntati ut alienae , sed ut suae voluntati obsequitur Deus Filius , et seu ante carnem , seu in carnem , et per carnem sibi obsequitur, moremque gerit. Mox autem demostrans , quomodo Patris praeceptum nihil obstrepat indifferentiae : *Hoc igitur* , inquit , *vult ostendere , cum dicit potestatem habeo ponere animam meam, et potestatem habeo accipere eam , se non iussum ut servum , et mini-*

*strum*, *sed neque ex necessitate*, *vel a quibusdam coactum*, *sed volentem ad id venisse. Hoc mandatum accepi a Patre meo*: *Ne quis enim dicat*, *praeter voluntatem Filii non posse Patrem sumere animam eius*, *neque ex eo in una Deitate Patris*, *et Filii dissidium faciat*: *quando dicit se mandatum accepisse*, *in hac consentientem voluntate ostendit Patrem*, *et tamquam ab una mente*, *et sensu ad id se venire fatetur* cet.

VII. Cyrillo Chrysostomus accedit Homil. LI. in Ioan. eamdem Christo libertatis indifferentiam adscribens, eamdemque Paterni praecepti vim interpretans: *Priusne ergo accepit et inde paruit*: *et prius quid esset faciendum*, *ut disceret*, *opus habuit. Et quis nisi expers rationis hoc dixerit? Sed praeceptum a Patre se accepisse dicens nihil aliud ostendit*, *quam idem Patri videri*, *quod ipse facit.* Praeceptum igitur ex Chrysostomo nonnisi consensus aptissimus est voluntatis Divinae, quod iterum ibidem explanat: *Qui a seipso animam ponit*, *praecepto non indiget. Et caussam cur faciat*, *affert*, *quod scilicet sit Pastor*, *et Pastor bonus. Bonus autem Pastor ad ovium custodiam hortatore non indiget. Nihil autem aliud hoc in loco praeceptum signat*, *quam cum*

*Patre concordiam. Quod si humiliter, et humane locutus est, auditorum imbecillitati tribuendum.* Consentit expressissime Basilius Lib. de Sp. S. Cap. VIII. *Quemadmodum mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Non quod caruerit libero voluntatis arbitrio impetuque, neque quod ex signis ab imperante datis occasionem expectasset, his utitur verbis: sed ut declaret suam sententiam unite et indivulse Patri cohaerentem. Proinde quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus, Filio velut obedienti praescribentem quid facere debeat: sed iuxta sensum Deo dignum intelligamus, voluntatis traditionem, instar formae cuiuspiam in speculo relucentis, a Patre in Filium sine tempore dimanantem.* Atque ut ceteros Graecos mittam, unum Damascenum memoro demum Lib. de duabus Christi voluntatibus ita egregie disputantem: *Quoniam una est Christi persona, unusque Christus, fit ut unus sit qui utraque natura velit. Ita tamen, ut qua ex Patre Deus est, imperet, et censeat: ut autem homo, pareat et obediat: imperet quidem ut Deus paterna divinaque voluntate cum Patre et Spiritu; ut autem homo nostra voluntate Divinae suae ac paternae voluntati morem ge-*

*rat. Neque enim Patri obedit divina sua voluntate: quippe cum divina voluntas nec pareat, nec imperium recuset. Quandoquidem haec sunt, ut ait Gregorius Theologus, eorum qui in ditione alterius sunt, et servi formae, quam ex nobis Christus assumpsit.*

## SECTIO III.

***Mediatoris est orare, ac interpellare. Oratio nec Christi Deitati officit, nec eius humanitatis amplitudini. An etiam nunc Christus in paterno solio sessitans oret.***

I. Christum Dominum, dum in carne mortali viveret, non solum pro nobis, sed etiam pro se ipso orasse, Scripturis praedicantibus, nemo Christianus inficiari potest. Verum non Deitatis sed humanitatis propriam fuisse Christi orationem auctor est Chrysostomus adversus Arianos, heinc Deitatem Verbi insidiantes: *Illi quidem* ( inquit Homil. XXXII. ) *divinitatis orationem extitisse dicunt, nos autem dispensationis. Deus enim non erat; Dei est adorari; Dei est orationem suscipere, non offerre.*

II. Augustinus item humilitatem illam orandi in humilem refundit mediatorem, hoc est, in hominis naturam a Verbo assumptam. Neque enim sublimis aeternitas, sed humana humilitas Verbi, et mediatrix ad Patrem nostra est, et orationibus mediationem suam exequitur. *Ex quo enim homo* ( inquit Tract. CVII. in Ev. Ioan. ) *ex hoc et infirmus: ex quo infirmus, ex hoc et orans..»*
» Orat Deus? orat ad aequalem? Caussam autem
» orandi quam habet, semper beatus, sem-
» per omnipotens, semper incommutabilis,
» aeternus, et Patri coaeternus? . . . Quare
» interpellat pro nobis? quia mediator esse
» dignatus est. Quid est mediatorem esse in-
» ter Deum et homines? . . . inter illam
» Trinitatem, et hominum infirmitatem, et
» iniquitatem, mediator factus est homo,
» non iniquus, sed tamen infirmus, ut ex eo
» quod non iniquus, iungeret te Deo; ex
» eo quod infirmus, propinquaret tibi ». Quod uno et altero verbo plane disertissimeque sigillat Gregorius Pontifex ( Lib. II. Moral. Cap. XXII. ) *Quid mirum si in forma servi, exorando se Patri subdidit, in qua etiam manus peccantium usque ad mortis extrema toleravit?*

III. Porro tantum abest ut ab humanitate

orante, Divinitatis amplitudo extenuetur; ut ex adverso firmissime muniatur. Quis enim eminentissima superfusae Deitatis vestigia in ipsa orationum humilitate non videt? Expendamus quidem illam in primis (Ioan. XVII. 1.) *Pater clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Quid magnificentius hac orationis formula? Petit, et vicem repromittit. Claritatem postulat, sed ipsam Patris, non disparem. Claritatem denique postulat, sed eamdem redditurus. Egregie Hilarius Lib. III. de Trinitate: *Cavendum est ne apud imperitos gloriam filii honor Patris infirmet. Nec infirmari se patitur haec ipsa clarificatio postulata. Ad id enim quod dictum est, Pater clarifica filium tuum, sequitur et illud, ut Filius tuus clarificet te. Non ergo infirmus est filius, vicem clarificationis ipse, cum clarificandus sit, redditurus . . . Ergo expostulatio clarificationis dandae, vicissimque reddendae, nec Patri quidquam adimit, nec infirmat Filium: sed eamdem divinitatis ostendit in utroque virtutem.*

IV. Quamquam igitur Christus qua homo erat, Patre minor fuerit, quamquam qua homo oraverit, et eo se minorem non dissimulaverit; quia Filius tamen Dei Deus aequalisque Patri ipse erat, idem in homine,

qui et ante hominem, dignitatis suae retinentissimus in assumpto homine fuit, et ipsa humilitatis et inanitionis suae documenta creberrimis aspersit maiestatis argumentis. Itaque orabat ut homo, sed orabat etiam Deus; hoc est orabat ut homo, suae sibi conscius divinitatis; orabat ut servus, sed memor ingenitae sibi dominationis; orabat ut minor, sed paternae non nescius aequalitatis; orabat ut exinanitus, sed qui erumpentes ingenitae et unigenitae maiestatis radios continere non posset usquequaque, quin aliquoties scintillarent. Non ergo in humilitate orationis aucupanda sunt argumenta, quibus Verbi Deitas infirmetur, sed in orationum splendore istiusmodi, corporatae divinitatis suspicienda amplitudo.

V. Excutiamus et illam quoque orationem, qua Patrem Christus de suscitando Lazaro compellavit ( Ioan. XI. 41. ) *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant, quia tu me misisti.* Haeccine ergo forma supplicationis? apage! et in tanta orationis fiducia conspicuae humilitatis documenta, totam Deitatis magnitudinem spirantia miramur. Quid? primo exauditum se testatur antequam precari exorsus sit. Deinde non a petendo,

sed ab agendis gratiis auspicatur. Mox non ad suscitandum Lazarum orasse testificatur, sed ad revincendos infideles qui aderant, de sua cum Patre consonantissima divinitate. Denique non orante Christo exurgit e tumulo Lazarus, sed imperante. *Attende quaeso diligenter* ( inquit Chrysostomus Orat. XI. ) *Ecce inquit, propria mea autoritate mortuum evoco: ecce propria potestate morti impero: Patrem voco Patrem, et Lazarum evoco e sepulcro. Si primum illud verum non est; neque hoc fiat secundum: sin autem vere Pater est Pater, obediat mortuus ad eorum qui sunt instructionem.* Favetque Ambrosius Libro IV. de Fide Cap. III. » Ut cognosceres non quasi infirmum gratias egisse, sed » quasi Dei Filium semper sibi divinam potentiam vindicare, clamavit: Lazare veni » foras. Imperantis utique vox ista est, non » precantis.

VI. « Denique, ut scias ( inquit expressis verbis beatissimus Episcopus ibidem ) quod secundum hominem rogat, divinitate imperat, habes in Evangelio quod Petro dixit: Rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Eidem autem supra dicenti, Tu es Christus Filius Dei vivi, respondit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et

portae inferi non praevalebunt adversum eam, et tibi dabo claves Regni Coelorum. Ergo cui propria auctoritate Regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit. Quando igitur roget, quando imperet, considera: rogat quando passurus ostenditur, imperat quando Filius Dei creditur ». Sed nunc subit in mentem caussa, quam sciscitatur Chrysostomus, cur in maioribus non orat Christus, sed in minoribus. « Si enim (inquit Sanctus « Pontifex *Homilia LIII.*) orabat quod auxilio indigeret, et quod sufficientem in se virtutem » non haberet, in omnibus orare deberet, » et Patrem invocare. Quod si minus in om- » nibus, saltem in maioribus. Nunc autem » contrarium agit. Quando enim quidpiam » maioris momenti agendum erat, nusquam » illum invocare Patrem invenies, nec ora- « re, sed cum auctoritate omnia perficere. » Venite benedicti Patris mei cet. Ite ma- » ledicti in ignem aeternum cet. sic quum » principis synagogae filiam suscitavit, ad » eius cadaver accedens, et manum eius ad- » prehendens, hoc unum locutus est (*Matth.* » *IX.* 25. et *Marc. V. XLI.*) *Puella sur-* » *ge.* Et cum adolescentem, cuius funus du- » cebatur, solo contactu loculi, et omnipo-

» tenti illa voce ( *Luc. VII.* 14. ) *Adolescens tibi dico surge*, vitae restituit. Quid? quum sine ulla prece inquit ( *Ibid.* v. 48. ) *Remittuntur tibi peccata.* Et ( Marc. IX. 24. ) *Surde et mute spiritus*, *ego praecipio tibi*, *exi ab eo.* Et ( Luc. V. 24. ) *tibi dico*, *surge*, *tolle lectum tuum*, *et vade.* Vides ut omnia cum herili auctoritate perficiat«!

VII. Praeterea Christi sedulo attendentes orationem, vel id absque interprete perspicue animadvertimus, quod non tam preces fundebat, quam precandi normam praescribebat, non tam orabat, quam orandum docebat, non semet orando fatigabat, sed nos infatigabilis orationis exemplo informabat. Erat enim tota eius vita, lex iustitiae, quae non sibi, sed nobis impendebatur. Non igitur precatione patrocinium sibi, sed nobis magisterium parabat. Ita si quid miratus est Christus imbuebat nos, quid mirari deberemus: si quando tristatus, si quando exhilaratus, profecto tunc sanctitatis totius arbiter, et magister insinuabat quibus demum rebus tristitia, quibus hilaritas inhibenda, aut relaxanda esset; quum ipsi nihil novum aut insolens, et improvisum occurrere posset, quo aut extorqueretur admiratio, aut tristitia obduceretur, aut hilaritas illiquesceret.

VIII. Dicam amplius : quum oratio ascensus mentis in Deum sit, num infra iacuit aliquando mens Christi, ut excitanda hinc esset per orationem, et ad Deum protrudenda? Num vel puncto temporis a Deo dissiliit anima illa, ut ad eum precum volatu resiliret? Ecquid autem opus erat, ut peteret quidpiam, vel prece exprimeret, quum Christus unus sit, quum omnipotens sit, quum omnium preces ad ipsum, et per ipsum arrigantur, et perficiantur? Rem sane expressissimis verbis Damascenus expedit *Lib. III. de Orthodoxa fide Cap. IV.* » Oratio est ascensio » mentis in Deum, aut congruentium petitio » a Deo. Quomodo igitur Dominus in susci» tatione Lazari, aut passionis tempore ora» bat? Non enim ascensione in Deum » sancta eius mens indigebat, semel secun» dum hypostasin Deo Verbo unita; neque » petitione a Deo, nam unus est Christus. » Verum nostram in se exprimebat personam, » et typum: quod nostrum est in seipso for» mabat, nobis factus exemplum, et edocens » nos a Deo petere, et ad eum ascendere, » et per sanctam suam mentem nobis ster» nens viam, et ascensum ad Deum ».

IX. Conspirat in id ipsum Augustinus Tractatu CIV. in Ioannem : *Poterat Dominus*

*noster unigenitus et coaeternus Patri, in forma servi, et ex forma servi orare silentio, sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem.* Ex quo satis superque dilucet, nonnisi per συγκατάβασιν *per condescensum* (utor hic verbo Sancti Ioannis Chrysostomi Orat. LI. *Blasphemant autem, quod non intelligant; συγκαταβάσεως condescensus gratia preces fusas fuisse, et propter circumstantium multitudinem*) orasse Christum, quia ascensu mentis ad Deum non egebat, qui Deus erat; quia petere non egebat qui unus cum Verbo erat, cuius sunt omnia; quia eius ut Verbo concreti, et substantia ipsa Verbi ac proinde bonis eius omnibus donati omnia sunt; quia nobis quidem ut peteret, necessum erat, quibus sua prodigere propria poterat auctoritate. Oravit ergo ut Deitatem eius adhuc non pervidentes ne exasperaret. Oravit, ut humilitatem insereret. Oravit ut orandi necessitatem inculcaret. Oravit, ut se nobis oraturis orantem commisceret, nos oraturos sibi oranti confunderet, atque ita nostris orationibus infinitam quamdam dignitatem et Patris amicitiam conciliaret.

X. Sed veniamus ad alteram partem, an etiamnunc in coelis oret Christus in paterno

sessitans solio. Sed orare quis ipsum facile opinabitur, quum nec illa sedes opportuna precationi sit, nec consessio in dextera, nec gloria Patris qua vestitur, nec denique aequalitas, qua dextera significatur. Quod si extra omnem dubitationis aleam est, omnes Christi orationes, quas tunc etiam, quum mortale hoc stadium percurreret, Patri allegavit, non necessitate expressas, sed ex dispensatione profusas fuisse, et humilitati carnis indultas, ecquis sibi suadebit, absorpta nunc mortalitate, et toto humilitatis schemate in Deum absumpto, adhuc loci aliquid precibus petitionibusque superesse? Tunc quidem mortalis Christus universitatem mortalium gestabat, omnium necessitati serviebat, omnium sacramentum erat, et ideo omnium precibus et petitionibus paternas aures orando aperiebat. Nunc vero immortalitatis suae compos, immortalitate donatorum donandorumque personam et sacramentum praefert, eorum nomine tamquam singulorum caput, tamquam universitatis beatorum summa, beatas haurit exundantissime delicias, nihil orat, nihil petit, quia beatorum non est orare, aut petere, ut nec indigere, sed abundare, et frui, et redundare.

XI. Fortasse at hic dicet aliquis: nonne a

beatis nunc iuvari mortales suarum ad Deum precum subsidio extra omnem controversiam est? Ut quid igitur ablegandae usquequaque preces, et petitiones ab illa beatitatis patria? Equidem et scio, et credo fulciri nos interim beatorum pro nobis supplicantium iuvamine, sed scio item, necdum illos plenam recepto corpore assecutos esse immortalitatem, nec dum fratrum suorum consortio cumulatae felicitatis apicem esse adeptos. Egent adhuc, et ideo orant: et orant idipsum quo egent, impleri vacuas adhuc supernas sedes, suppleri citius numerum suum, restitui temporius corpus suum. At Christus recepto immortalitatis plenissimae statu, omen est, et authoramentum, pignus est, et sacramentum perfectissimae ex omni parte felicitatis, unde proscribitur inopia, unde exulat oratio, et postulatio omnimoda.

XII. Quandoquidem vero diserte ab Apostolo Paullo est proditum, Christum a mortuis revectum, patrioque illatum solio interpellare pro nobis: scrutamur tantisper sanctorum Patrum mentem; quae sit huius interpellationis ratio, et an illa precibus transigatur. Sane Nazianzenus haec adprime habet Orat. XXXVI. *Nono illud producent: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Opti-*

*me sane ac perquam mystice et benigne. Intercessionis quippe nomen, non ut apud multos in more positum est, ultionis deprecationem habet: hoc enim humilitatis quodammodo esset; sed idem significat, quod pro nobis mediationis ratione supplicare.* Quemadmodum et Spiritus pro nobis intercedere dicitur. Unus enim Deus, unus etiam mediator Dei, et hominum homo Christus Iesus.

XIII. Ergo ex Nazianzeno sic Christus interpellat pro nobis, ut Spiritus Sanctus orat gemitu inenarrabili, id est orare et clamare facit: ex quo nihil quidquam humilitatis Christo illinitur. Licet enim naturae Christi humanae, et Spiritus Sancti divinae infinita sit discrepantia; tamen ubi de Christo homine in paternae gloriae plenitudinem demerso agitur, tum non absurde illa instituitur comparatio. Namque ut Spiritus Sanctus orat, idest orare facit; ita Verbum cum sua carne iam totus Deus, nec ex carnis humilitate, sed ex Deitatis maiestate iam se se per omnia agens, interpellat, idest interpellare facit. Gregorii sententiam Gregorius alter Magnus firmat ( Moral. Lib. II. Cap. XXII. ) *Bene dicitur quod corruens adoravit: quia dum ipse humilitatem carnis suscepit, in se credentibus vota humilitatis infudit. Fecit enim quia fie-*

*ri docuit. Sicut et de eius Spiritu dicitur : Ipse Spiritus postulat nobis gemitibus inenarrabilibus. Neque enim petit qui aequalis est, sed postulare dicitur, quia nimirum quos repleverit, postulantes facit.*

XIV. Secundo interpellat pro nobis Christus, ut ait Paullus, sedens ad dexteram Patris, non aliter quam semet Patri exhibens, et in se universam naturam hominum Verbo Deo copulatam. Opportune Gregorius Magnus ( Ibidem Lib. XXII. Cap. XIII. ) « Qui est » in dextera Dei, qui etiam interpellat pro » nobis. Unigenito enim Filio pro homine » interpellare, est apud coaeternum Patrem » seipsum hominem demonstrare : eique pro » humana natura rogasse, est eamdem natu» ram in divinitatis suae celsitudine suscepis» se. Interpellat igitur pro nobis Dominus » non voce, sed miseratione ». Et rursus : *Intercedens ergo pro peccatoribus, semetipsum iustum hominem, qui pro aliis indulgentiam mereretur, ostendit.* Consonat Paullinus Aquilejensis Lib. I. adv. Felic. » Advocatus « namque est, qui iam pro reconciliatis « interpellat, quemadmodum idem Redem» ptor noster facit quum humanam natu» ram Deo Patri in unitate Dei hominis» que personae ostendit : Hoc est enim Deum

» Patrem pro nobis interpellare ». Sed illud illustre, quod mox Paullinus ex Ioannis effato: *ipse est propitiatio pro peccasis nostris*, argumentatur; nimirum non tam Christi esse ut propitiet Patrem, quam ut propitiatio sit: non tam ut exoret, quam ut exoratio ipse sit: non enim voce, non prece; non supplicatione interpellat, aut exorat, sed ostentata, atque exhibita in se Dei hominisque conglutinatione. Ergo quemadmodum Christus non propitiat, sed ipse propitiatio est pro nobis; ita nec exorat, siquidem ipse idem substantiva quaedam ac constans, et perennis interpellatio est pro nobis. Expresse in eumdem sensum Hieronymus conspirat in Ep. ad Rom. *In hoc interpellare dicitur, dum semper Patri hominem quem suscepit, quasi nostrum pignus ostendit, et offert ut verus Pontifex et aeternus.* Itemque Anselmus ibid. » Qui etiam interpellat pro nobis, » quia hunc habemus apud Patrem advoca- » tum, et intercessorem. Unigenitum enim » filium pro hominibus interpellare, est apud » coeternum Patrem seipsum hominem de- » monstrare ». Graecos haud moror, toti quippe hac in re versantur.

XV. Altera nunc venit Christi precatio interpretanda ( Ioan. XIV. 16. ) *Et ego roga-*

*bo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis.* Sane vero precationem istam in diebus carnis, et in passione quidem interpositam quisquis attendet, fortasse audebit Christo in summum immortalitatis, et Divinitatis culmen sublimato appingere? Sed ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in Coelo et in terra*, ex quo advertere datur, expresse quantum ipse a se eliminet preces. Potius ergo auctor sum, Christi verba componenda sibi esse, ut mutuo lucem ipsa sibi infundant. Ait enim Christus ibidem: *Illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi.* « Quid est enim ro-« gabo, et non rogabo? ( verba usurpo Ruperti Lib. IX de Div. Offic. cap. 1.) « Hoc « nempe quod in passione sua sacrificium « futurus, et Patrem rogaturus erat, ut Pa-« racletum, id est, Spiritum remissionis pec-« catorum acciperemus, et sic paries inimi-« citiarum qui medius erat inter Deum et « homines, in carne eius solveretur. Quo « soluto, ille inquit, die pacis et conse-« quentis gratiae, non rogabo Patrem de « vobis. Quare? Ipse enim Pater amat vos, « inquit: id est, semel enim moriens, Deo

« reconciliavi vos in sanguine meo: et sicut « superius dixi, pacem reliqui vobis, pacem « meam, id est, per me inter Deum et vos « reformatam dedi vobis. Et hoc per fidem, « et dilectionem vestram, quia vos me a- « mastis et credidistis quia a Deo exivi. « Itaque quod ait, rogabo Patrem, et alium « Paracletum dabit vobis, nullo modo me- » lius accipitur, quam quod in cruce roga- « verit «.

XVI. Demum, ut quae huc usque disputavimus inconcusso pondere firmentur, satis id, quod inauditum, insolensque sit tum in Graecorum Latinorumque Patrum monumentis, tum in solemnibus Ecclesiae precationibus, ut Christus orare rogaretur; vel quis enim, Christiana fide licet vix initiatus, existimavit umquam fas esse Christum sollicitare, ut oret pro nobis? Nimirum tam unanimis ac conspirata toto orbe Christiano, quantus quantus patet, sollemnium precationum forma, tot iam saeculis volventibus ab ipso usque Apostolico aevo ad nos propagata, satis fortasse non erit, ut vel pertinacissimum quemque revincat? Nimirum quum ita concinant sibi hinc Graeci, illinc Latini Patres, atque idem unumque perpetuo personent, nec ulla vel locorum vel temporum intercapedo

illos distrahat, qui in schola pectoris lucem intimam veritatis ubique et semper praesentem, et incommutabiliter sui similem auscultant docentem, fortasse erit qui resistat adhuc, nec revereatur illa saltem quasi novissima Christi redivivi verba: Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra?

*Itaque fideli spiritu* ( cum Ambrosio Libro II. de Fide Cap. III. finem huic disputationi imponamus ), *et mente devota Iesum Dominum invocemus, et Deum esse credamus, et in nomine eius quidquid a Patre petimus, impetremus. Pater enim se per Filium vult rogari, Filius vult rogari Patrem.*

## CAPUT IX.

### *De Christi Sacerdotio.*

Mediatoris dignitati, Sacerdotii munus succedit: est enim Sacerdos μεσιτης, interventor, ac mediator Deum inter et homines; nec nisi perfectissimi mediatoris sunt, Sacerdotii Pontificatusque partes. Inquit enim Isidorus Pelusiota *Lib. III. Ep. XX.* « Sacerdotium medium esse divinam inter hu- « manamque naturam, της θειας και της αν-

« θρωπινες φυσεως κ ιερωσυνη ωσπερ μεση [κατε-
« στηκεν ut et illam colat, et huic mutatio-
« nem in melius afferat.

## SECTIO I.

*Christi Sacerdotium ad humanitatem pertinet. Ipsa Incarnatio Verbi sacrificium est. Plura de Christi Sacrificio in ara crucis. Cur eo consummato omnes desierint victimae. Etiam post resurrectionem suam Sacerdos est Christus. Nonnulla obiter de incruento Corporis Christi sacrificio.*

I. Ab ipso primo incarnationis suae momento Sacerdotem, supremumque Pontificem fuisse Christum, disertissimo testimonio in primis declarat Apostolus (Hebr. V. 4. *seq.*) *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu: Ego hodie genui te: quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in aeternum, secundum ordinem Mel-*

*chisedech.* Ergo Pontificatum Christus, Apostolo teste, non ambiit, sed eo a Patre donatus est, quum a Patre est genitus. Apostolo attamen praeiverat David (Ps. CIX.) *Ex utero ante Luciferum genui te, iuravit Dominus et non poenitebit eum: tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Quem locum ad humanam Christi generationem spectare praeter Cyrillum Alexandrinum, et Epiphanium, Augustinus expressus auctor est *in Psalm. CIX.* » Ex » utero ante Luciferum genui te, ex utero » virginali . . . . si natum ex utero de Vir» gine intelligimus ante Luciferum noctu, » sicut Evangelia contestantur, procul dubio » inde ex utero ante luciferum, ut esset Sa» cerdos in aeternum secundum ordinem Mel» chisedech. Nam secundum id quod natus » est de Patre Deus apud Deum, coaeternus » gignenti, non Sacerdos: sed Sacerdos pro» pter carnem assumptam, propter victimam, » quam pro nobis offerret a nobis acce» ptam ».

II. Porro ipsum Christi nomen Sacerdotium sonat; Christus enim a Chrismate dicitur, quo delibutus in Sacerdotium est. Proinde ut ab ipso primo exortu Christus est, ita ab ipso primo exortu Sacerdos est. Et uti Christi no-

men non adiectitium, sed substantivum, et hypostaticum est, ita Sacerdotium non ut dignitatis accessio ei obtigit, sed substantiva personae proprietas fuit. Sane ceteris hominibus naturae iam personaeque suae integritatem assecutis, superfunditur oleum, quo Sacerdotes, et Christi efficiantur; at Christo Domino oleum istud ipsa divinitas Verbi est, oleum istud substantia ipsa eius est, persona ipsius ipsissima. Quo enim oleo Christus, eo et oleo Sacerdos; proinde nec vel puncto temporis ullo Christus est, quin Sacerdos sit, siquidem eodem substantiali atque hypostatico chrismate et Christus, et Sacerdos perficitur. Atque hinc lux maxima Apostoli verbis adfulget, inquientis tum a Patre Christum Sacerdotio vestitum, quum dixit Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: haec enim dixit ei tum Pater quum Verbum suum carni implicuit; tunc enim est divinitatis oleum humanitati infusum. Hinc Augustinus (Lib.I. sup. Levit. Qu. LXXIX.) *Et Sacerdos magnus coram fratribus suis, idest, qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet unus magnus Sacerdos, cui fusum est super caput de oleo Chsisto. Ipsum oleum appellat Scriptura Christum.* Cui concinit Theodoretus, et Cyrillus Hierosolymitanus. Ille *Epist.*

*CXLVI.* » Idem ante saecula Filius erat » unigenitus, et Deus Verbum, post incar- » nationem vero et Iesus, et Christus appel- » latus est. Iesus interpretatur Salvator : voca- » bis nomen eius Iesum ; ipse enim salvum » faciet populum suum a peccatis eorum. Chri- » stus vero appellatus est, tamquam Spiritu San- « cto secundum hominem unctus, et factus Pon- » tifex noster ». Cyrillus vero Catechesi X. *Iesus Christus duplici nomine vocatur* : *Iesus propter salvationem*, *Christus propter Sacerdotium*, *quo fungitur*.

III. Scilicet igitur Deus Verbum, ubi homo factus, Sacerdos etiam et Pontifex est factus, non ut Deus est, sed ut homo verus. Primo namque Apostolus expresse mediatorem Dei et hominum hominem Christum Iesum appellat : mediator autem non est nisi sacerdos. Quid quod in Epistola ad Hebraeos ex hominibus sacerdotes adscisci constanter testatur. Secundo, Sacerdotis est compati, et condolere, ut idem ait Apostolus, eorum infirmitatibus quibus consulit, quod et ipse infirmitate circumdatus sit, tentarique per omnia pro similitudine voluerit. Neque enim spem fiduciamque suam in eo collocabunt homines, quem nullo miseriae suae sensu perstringi, quin et in arce beatitatis regnare conspexe-

rint. Tertio, Sacrificium est quoddam servitutis specimen; ergo nonnisi superiori ab inferiore, creatrici a creata, sanctificatrici a sanctificandà natura potest impendi. Quarto, nemo verus Sacerdos, nisi qui et ipse victima est.

IV. Atque haec sunt rationum momenta potissima, quae ex Graecorum, Latinorumque Patrum elucubrationibus corrogare datum est, quibus persuasissimum id perpetuo fuit, Christi Sacerdotium ad humanitatis eius, eiusque exinanitionis censum pertinere. Nunc unum et alterum praestat audire; in primis Epiphanium Haeres. LXIX. id ex Apostoli verbis ( ad Hebr. V. 1. ) adstruentem: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Nam quod *ex hominibus* dicit, ad incarnationem refertur, inquit Epiphanius. In eumdem sensum convenit Cyrillus Alexandrinus *Lib. II.* » Sciendum est quod neque » ipse filius Verbum ex Patre sacerdotio fun» gi dicatur, et in sacrificantium ordine es» se, nisi in quantum homo propter nos est » factus. Et sicut vocatur Propheta, et Apo» stolus propter humanitatem quam assumpsit, » ita etiam et Sacerdos ». Paria habet Au-

gustinus *Lib. I. de Cons. Evang. Cap. III.* » Secundum hominem quippe Christus » et Rex, et Sacerdos effectus est ». Sed omnium instar audiendus Fulgentius *Lib. III. ad Trasimundum Cap. XXX.* » Idem » homo Christus est, qui pro nobis et Pon» tifex factus est, dum semetipsum passioni » obtulit, et hostia factus est, dum passio» nem ipse suscepit. Huic dicitur: Tu es » Sacerdos in aeternum secundum ordinem » Melchisedech. Et Sacerdos tamen, et ho» stia, humanae naturae tam officia cogno» scuntur esse, quam nomina. Et quoniam » idem Pontifex infirmitates nostras suscepit » et habuit, propterea de ipso Apostolus di» cit: Non enim habemus Pontificem, qui » non possit compati infirmitatibus nostris. » Et ut se de natura humana loqui doceret, » adiecit: Tentatum autem per omnia pro » similitudine absque peccato ».

V. Nunc vero id indagandum, quemadmodum Sacerdotii sui partes expleverit Christus; nam in veris hostiis et sacrificiis offerendis Sacerdotii naturam proprietatemque consistere, neminem latet, testante Apostolo ( ad Hebr. LI. ) pontificatum ad id esse constitutum, ut *offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Sed ante omnia praeludii loco illud ad-

vertam, ipsam Verbi Incarnationem iuge quoddam extitisse sacrificium, nec enim Verbi incarnandi alius fuit scopus, quam ut mori posset, et moriendo immolari. *Venit propter nos* ( inquit Gregorius Magnus Moral. Lib. XVII. Cap. XVIII. ) *in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus est homo. Sumpta est ab illo natura, non culpa, fecit pro nobis sacrificium: Corpus suum exhibuit pro peccatoribus, victimam sine peccato, quae et humanitate mori, et iustitia mundare potuisset.* Ergo eo potissimum consilio praedestinata est ante saecula Incarnatio Verbi, ut Sacerdos, et Sacrificium, Deo placando, mundoque emundando par, instrueretur. Ergo ad id natura mortalis immortali Deitati in unam est aptata personam: scilicet ut immortalis iustitia Deitatis per naturam mortalem assumptam mortalis fieret, atque moriendo Sacerdotis ac victimae munia obiret.

VI. Porro ad naturae nostrae dignitatem id intererat, ut ex ipsa acciperetur, quod offerretur pro ipsa: ut de suo redimeretur: ut ab expiandis id sumeret Sacerdos, quo expiaretur. Ad rem audi Augustinum *in Psalm. CXLIX.* » Unde Sacerdos? Quia se pro no- » bis obtulit. Date Sacerdoti quod offerat. » Quid inveniret homo, quod daret? Mun-

» dam victimam. Quam victimam ? Quid mun-
» dum potest offerre peccator ? . . . Offerat
» ergo seipsum mundus Sacerdos et mundet;
» hoc est quod fecit Christus. Nihil mundum
» invenit in hominibus, quod offerret pro
» hominibus : seipsum obtulit mundam vi-
» ctimam, hostiam immáculatam. Non ergo
» hoc obtulit, quod nos illi dedimus ; imo
» hoc obtulit quod a nobis accepit, et mun-
» dum obtulit. Carnem enim a nobis accepit,
» hanc obtulit ». Cui pari eloquentia consonat Ambrosius *Lib. I. de Incarnat. Sacram. Cap. VI.* » Ergo ex nobis accepit quod pro-
» prium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex
» nostro, et quod nostrum non erat, ex suo
» nobis divina sua largitate conferret. Secun-
» dum naturam igitur se obtulit nostram, ut
» ultra nostram operaretur naturam. De no-
» stro Sacrificium, de suo praemium est ».

VII. Scilicet oportebat, ut ea esset victima, in qua totum genus hominum non reconciliaretur tantum Deo, sed et immolaretur. Oportebat nempe in uno homine, qui omnium caput esset, omniumque complexio ac universalitas, omnes nos tamquam universalis victima, et immortale sacrificium Deo consecraremur ; illi uni omnes insereremur, omnes commoreremur, omnes una resurge-

remus, omnes perpetua charitatis mactatione immortaliter cum eo immolaremur. Quod sane Christi incarnatione praestitum est, qua unus ipse ex hominibus in victimam, et sacerdotem assumptus est, reliquisque ut caput, et princeps praestitutus, in quo essent omnes, in quo omnes Deo et ad commoriendum, et ad convivendum consereremur. Rursus Augustinus in Psalmum CXXIX. *Quid accepit a te Dominus? carnem. Quid venit ipse? Verbum Dei quod erat ante omnia, per quod facta sunt omnia. Sed ut acciperet abs te aliquid, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Accepit abs te, quod offerret pro te, quomodo accepit a te sacerdos.*

VIII. Quid quod immortale ipsum, atque ipsa immortalitas Verbum, ut cum morte congredi posset, eamque subeundo everteret funditus, ideo caro factum est. Non enim venerat in hunc mundum ut vitam mendicaret a nobis, qui ipse vita erat, sed ut mortem tantum mutuaretur a nobis, cuius dumtaxat inops erat, et pro ea atque per eam, cum ingenti nostro compendio, vitam nobis numquam intermorituram largiretur. Venerat, inquam, ut mortem nostram acciperet, ut mortem nostram de abundantia vi-

tae suae interficeret, eamque haud amplius in nos desaevituram exarmaret. Egregius sane hanc in rem est Sancti Athanasii locus *Lib. de Incarnat. Verbi.* » Quum enim, inquit, certum haberet Verbum Dei, corruptionem non aliter in hominibus desituram esse, nisi omnes omnino morerentur, et se mortis capacem non esse, ut immortalem, et Patris Filium: ideo corpus quod mori posset, sibi assumit, ut summi Verbi particeps factus, pro omnibus morti ad plenam satisfactionem sufficeret, et tamen ob Verbum Patris ibi inhabitans, incorruptibile perseveraret; quo ita in posterum corruptio in omnibus per resurrectionis gratiam desineret. Ideoque veluti hostiam ab omni macula liberam, in se sibi corpus desumens, offerensque in mortem, ab omnibus statim sui similibus rei persimilis oblatione mortem amolitus est ».

IX. Iam vero tempus est, ut his omnibus missis orationem nostram convertamus in Sacrificium illud, quod in humani generis redemptionem obtulit Christus Pontifex in ara crucis; in qua per hostiam salutarem naturae humanae celebrata est oblatio, ubi sanguis immaculati agni antiquae praevaricationis pacta delevit; ubi omnis error, et supersti-

tio mactata est veritati ; ubi omnis improbitas trucidata est iustitiae ; ubi diabolicae dominationis contrita est adversitas ; ubi temporalium cupiditas iugulata , et immolata est charitati ; ubi mortis metus , vitiorumque fomes exectus est , mactatusque aeternorum spei ; ubi de superbia victrix triumphavit humilitas ; ubi genus omne humanum Deo est reconciliatum , et generi humano Deus est propitiatus.

X. Hanc porro Sacerdotalem Christi functionem perpetuo Apostolus commendat tum alibi , tum ad Ephesios ( V. 2. ) *Dilexit nos , et tradidit semetipsum pro nobis oblationem , et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Et ad Hebr. ( III. 1. ) *Considerate Apostolum , et Pontificem Confessionis nostrae Iesum , qui fidelis est ei qui fecit illum.* « Quandonam vero , inquit Athanasius » Orat. III. Pontifex nostrae confessionis fa-« ctus est , nisi quando semetipsum pro no-« bis offerens , corpus suum a mortuis su-» scitavit » ? Et Epiphanius eumdem tractans Apostoli locum Haer. LXIX. *Ipse Sacerdos* , ait , *ipse hostia semetipsum obtulit , pro omni creatura , Pontificatus officio fungens. Tum spiritali quodam modo , et cum ingenti gloria in Coelum ascendens* ,

*cum eodem illo corpore ad dexteram Patris accedit, Pontifex factus in sempiternum qui semel penetravit coelos.* Audin ut summus Sacerdos ac Pontifex, non quum viveret tantum, in corpore fuerit Christus, quando ipse suum obtulit corpus, sed in eodem officio perseveret etiamnunc, quatenus prioris sacrificii fructum colligit, et nos assidue Deo reconciliat?

XI. Dignus qui audiatur et Augustinus in Enarratione II. Psalm. XXVI. *Et quidem solus ille Sacerdos talis extitit, ut ipse etiam esset sacrificium: obtulit Deo non aliud, quam seipsum.* Et rursus in Ps. CXXXII. *Quis est Sacerdos, nisi unus Sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? quis est Sacerdos, nisi qui fuit et victima, et Sacerdos? nisi ille qui cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, seipsum obtulit.* Cui adcensendus Fulgentius Lib. XII. ad Trasimund. *Unus igitur idemque mediator Dei et hominum homo Christus Iesus, ipse pastor et ovis; ipse sponsus, et sponsa, ipse Sacerdos et victima; unus idemque et oblator muneris, et munus factus est oblatoris.*

XII. Ergo necessum id erat, ut non alia caederetur in cruce victima, quam ipse Prin-

ceps iustitiae, qui homo factus homines sibi inseruit, et concorporavit omnes, ut in se per Sacramentum omnes crucifigerentur, omnesque in semetipso qui omnes in se gestabat, omniumque personam sustinebat, morerentur, et suscitarentur. « Aut quod umquam sacrificium sacratius fuit (verba sunt Sancti Leonis *Serm. XII. de Passione*) « quam quod verus Pontifex altari crucis per « immolationem suae carnis imposuit? Quam« vis enim in conspectu Domini multorum « sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius « tamen insontis occisio propitiatio fuit mun» di. Singulares quippe in singulis mortes « fuerunt; nec alterius quisquam debitum « suo funere solvit, quum inter filios homi« num solus Dominus Iesus Christus extite« rit, in quo omnes crucifixi, omnes mor« tui, omnes sepulti, omnes etiam sint su« scitati ».

XIII. Ex quo factum, ut vero Sacrificio in cruce consummato omnes exinde desierint victimae. Omnia enim olim sacrificia unum hoc praemonstrabant, conclamabantque; omnia post sacrificia unum hoc rememorant sacrificium, in quo unum maxime dominatur; in quo idem et unum est victima et Sacerdos, in quo unum et idem est quod offertur,

cui offertur, pro quo offertur, a quo offertur. Item ut per unum Sacrificium, in unum sumus recollecti, revincti, religati, compaginati, qui per multa sacramenta, ac sacrificia eramus antea distracti ac dispersi! « Hoc Sacramentum, ( egregie inquit Augustinus *Lib. IV. de Tr. Cap. VI.* ) « hoc sacrificium, « hic sacerdos, hic Deus, antequam missus « veniret, factus ex femina, omnia quae sa- « crate atque mystice Patribus nostris per « angelica miracula apparuerunt, sive quae « per ipsos facta sunt, similitudines eius fue- « runt, ut omnis creatura factis quodammo- » do loqueretur, unum futurum, in quo « esset salus universorum a morte reparan- « dorum. Quia enim ab uno vero Deo, et « summo per impietatis iniquitatem resilien- « tes, et dissonantes deflexeramus, et eva- « nueramus in multa, discissi per multa, et » inhaerentes in multis, oportebat nutu et « imperio Dei miserantis, ut ipsa multa con- « clamarent unum, et a multis conclamatus « veniret unus, et multa contestarentur ve- « nisse unum, et a multis exonerati venire- « mus ad unum ». Nec minus eleganter Sanctus Leo Magnus Serm. VIII. de Passione: *Nunc carnalium sacrificiorum veritate cessante, omnes differentias hostiarum, una*

*corporis et sanguinis tui implet oblatio : quoniam tu es verus agnus Dei qui tollis peccata mundi ; et ita in te universa perficis mysteria , ut sicut unum est pro omni victima sacrificium , ita unum de omni genere sit regnum.* Atque id portendebatur scisso , quum Christus efflavit animam , templi velo : « Adeo tunc , (inquit idem Leo Serm. XVII. de Pas. ) « a lege ad Evangelium , a synagoga ad Ecclesiam , a multis sacrificiis ad « unam hostiam , quae Deus est , evidens « est facta translatio , ut emittente spiritum » Domino , velum illud mysticum , quod « templi penetralia , sanctumque secretum suo « intercludebat obiectu , a summo usque ad « imum vi subita scinderetur. Quoniam figuras veritas auferebat , et superflui erant « nuncii sub praesentia nunciati ».

XIV. Quod autem post resurrectionem etiam suam perpetuato quodammodo crucis sacrificio Sacerdos et Pontifex in coelo sit Christus , id vel ex eo abunde patet , quod cicatrices vulnerum , salutis nostrae pretia in coelum intulerit ; iisque tamquam nuper mactatae victimae insignitum corpus instar habeat hostiae sempiternae , quae Deo aeternaliter offeratur. Dignus qui audiatur Ambrosius *in Luc. Cap. XXIV.* « Nam quomodo

« non corpus, in quo manebant insignia « vulnerum, vestigia cicatricum, quae Do- « minus palpanda obtulit? In quo non so- « lum fidem firmat, sed etiam devotionem » acuit, quod vulnera suscepta pro nobis, « coelo inferre maluit, abolere noluit, ut « Deo Patri nostrae pretia libertatis osten- « deret ». Cui et expresse suffragatur, ut ceteros Patres mittam, Guitmundus Episcopus Aversanus Lib. II. de Ver. Euch. *Sed et nunc quoque pro nobis interpellans, hodieque corpus suum cum cicatricibus vultui Patris ostendens, se pro nobis natum, passum, ac resurrexisse, atque ad coelos ascendisse designat.*

XV. Ergo agnus semel occisus, non oblatus tantum, aut immolatus tunc fuit quum occidebatur; sed quamdiu caedis eius vestigia extant, Patrique repraesentantur, tamdiu offertur ille, et perpetuato crucis sacrificio immolatur. Quorsum enim vulnerum notae in illa sanctitatis, et incorruptibilitatis sede? Quorsum cicatricum maculae in immortali corporis deificati pulchritudine? Quorsum mortis ac passionis reliquiae in illo vitae regno, ubi absorpta est mors in victoriam, et corruptibile induit incorruptibilitatem? Scilicet vulnera ista, hae mortis reliquiae, unde vita

et incorruptibilitas scaturit perenniter, iuge sunt propitiationis nostrae sacrificium, ideoque haudquaquam erant in coelo oblitterandae.

XVI. Demum et id mihi superesse nunc video, ut de altero Corporis Christi sacrificio nonnulla dicam, quod sine caede ac cruore transigitur, quodque incruentum ab Latinis adpellatur, a Graecis vero αναιμακος θυσια, cuius idem oblator est, et Sacerdos Christus Dominus, sed iucundissimo huic argumento erit alibi locus. Nec nisi obiter tantum heic edico, unum idemque Crucis ac Eucharistiae Sacrificium esse. Iam tum enim Christus, dum se in coena sacrificat immolatque Patri ut victimam, mortuus est in Sacramento, inenarrabili quodam modo, ipsius potestati dignitatique maxime consentaneo. Si enim corpus suum vescendum, et sanguinem suum hauriendum praebet, profecto crucem mortemque suam sponte in Eucharistia accelerat, praevertitque, et cunctabundam invadit Christus. Qui namque potest victima, nisi prius caesa, edi sugique? Scilicet ergo, occisio, mors, immolatio, prius invisibiliter in Eucharistia anticipatur, visibiliter posterius in Cruce peragitur. Sermonem claudo Beatissimi Gregorii Nysseni verbis *Orat. I. in Resurrect. Christi.* « Qui

« potestate sua cuncta componit, non ex « proditione sibi impendentem necessitatem, « non Iudaeorum quasi praedonum impetum, « non iniquam Pilati sententiam expectat, « ut eorum malitia sit communis hominum » salutis principium et causa : sed consilio « suo antevertit, et arcano sacrificii genere, « quod ab hominibus cerni non poterat, « seipsum pro nobis hostiam offert, et vi- « ctimam immolat. Sacerdos simul existens, « et agnus Dei, ille qui mundi peccatum » tollit. Quando id praestitit? Cum corpus « suum discipulis congregatis edendum, et « sanguinem bibendum praebuit : tunc aperte » declaravit agni sacrificium jam esse perfe- « ctum. Nam victimae corpus non est ad e- « dendum idoneum, si animatum sit. Quare « cum corpus edendum, et sanguinem bi- « bendum discipulis exhibuit, iam arcana « et non aspectabili ratione corpus erat im- « molatum, ut ipsius mysterium suum pera- « gentis potestati collibuerat ».

## CAPUT X.

### *De Christo Rege ac Iudice.*

Regem esse Christum, Scripturarum perpetua confessio est. De ipso enim in vetustis Tabulis scriptum est ( Ieremiae XXIII. V. ) *Et regnabit Rex, et sapiens erit*: Et ( Zachariae IX. 9. ) *Ecce Rex tuus venit tibi iustus*; tum et ( Psalm. LXXII. ) *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion*. Expressius autem in novo Testamento, vel absoluta designatione Rex adpellatur, aut Rex Iudaeorum, et Rex Israel. Quamobrem sciscitanti Pilato ipse se Regem esse confessus est ( Ioan. XVIII. 37. ) Quin ubi in extremo iudicio sententiam de electis ac reprobis abs se pronuntiandam expressit, adprime Regiam suam potestatem non facto tantum, sed et verbis designavit ( Matth. XXV. 34. ) *Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt* cet.

II. Porro autem nemo catholicus addubitabit, quin Christus qua Deus est, Regiam dignitatem eamdem penitus habeat cum Patre, et Spiritu Sancto, et eam ex omni ae-

ternitate cum utroque exerceat, sed de ea non contendimus hoc loco, quam si spectes, Regnum habet in res omnes a se conditas, temporale non minus, quam spirituale; Sed tantum id indagare licet, ac fortasse etiam expedit, quatenus homo est, spiritalene, an potius huius saeculi Christi Regnum sit. Ego autem Regem illum arbitror spiritalem duntaxat fuisse, tum maxime quamdiu homo inter homines est versatus. Non enim falso dixit Pilato praesidi de Regno sciscitanti (Ioan. XVII. 36.) *Regnum meum non est de hoc mundo.* In quem locum ita egregie Augustinus (*Tract. CXV. in Ioan.*) » Audite ergo » Iudaei, et Gentes: audi circumcisio; audi » praeputium: audite omnia regna terrena: » non impedio dominationem vestram in hoc » mundo: regnum meum non est de hoc « mundo. Nolite metuere metu vanissimo, « quo Herodes ille maior, cum Christus na- « tus nuntiaretur, expavit, et tot infantes, » ut ad eum mors perveniret, occidit; ti- « mendo magis, quam irascendo crudelior. « Regnum, inquit, meum non est de hoc « mundo. Quid vultis amplius? Venit ad « regnum, quod non est de hoc mundo, « venite credendo, et nolite saevire metuen- » do ». Et rursum verba Psalmi II. Ego

autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum eius enarrans, subdit: *Sed Sion ille, et mons ille non est de hoc mundo. Quod est enim eius regnum, nisi credentes in eum?* Qua in re turpiter delusos esse Iudaeos, vel ab initio monui, seque supinos ac caecos Scripturarum interpretes adhuc produnt, siquidem Messiae Regnum nonnisi mundanum somniant; ac quoties de Davidis solio in aevum possidendo, et instaurando legunt, nihil nisi terrenum cogitant, externo mortiferae litterae sensui haerentes. Tantam coecitatem, Prophetarum oracula apertissima castigant. Isaias namque (LIII.) expresse in meritum mortis oppetitae, Christo Dominatum adiudicat: *Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Hinc et Apostolus promissum Messiam non praesentis, sed futuri saeculi patrem adpellat, eiusque Regnum ac Principatum, nonisi ex cruce ipsa, quam humeris gestaturus erat, derivavit (Cap. IX.) *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est Principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.*

Regiae autem dignitati iuncta proxime iudiciaria potestas est; Regis enim est iustitiam exercere. Hinc scriptum rursum est de Messia ( Psalm. LXXI. ) *Iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.* Et item *Orietur in diebus eius iustitia . . quia liberabit pauperem a potente.* Et(Psalm. XCVII.) *Iudicabit orbem terrarum in iustitia; et populos in aequitate.* Vetusto novum consonat Testamentum. *Ipse est* inquit Apostolus Petrus ( Act. X. 42. ) *qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum.* Et in Evangelio ( Ioan. V. 22. ) *Neque enim Pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit filio.* Ibidem ( v. 27. ) *Potestatem dedit ei iudicium facere qui filius hominis est.* Et Apostolus Paullus ( Act. XIII. 31. ) *statuit diem, in quo judicaturus est orbem in aequitate in viro, in quo statuit, fidem praebens omnibus, suscitans eum a mortuis.*

At iudiciariam potestatem, functionemque Christo ut homo est, an ut Deus, attribuamus? » Dicimus, ( verba Augustini usurpo *Lib. I. de Trinitate Cap. XIII.* ) quia se» cundum id quod Deus est iudicat: hoc est » ex potestate divina, non humana: et ta» men ipse homo iudicaturus est; sicut Do» minus gloriae crucifixus est. Quapropter fi-

» lius hominis iudicaturus est, nec tamen ex « humana potestate; sed ex ea, qua filius « Dei est. Et rursus filius Dei iudicaturus » est, nec tamen in ea forma apparens, in » in qua Deus est aequalis Patri. Itaque utrum- » que dici potest; et filius hominis iudica- » bit, ut verum sit quod ait: Cum venerit » filius hominis, tunc congregabuntur ante eum » omnes gentes. Et non filius hominis iudi- » cabit, ut verum sit quod ait: Ego non » iudicabo. Et ego non quaero gloriam me- » am; est qui quaeret, et iudicet. Nam se- » cundum id, quod in iudicio non forma » Dei, sed forma filii hominis apparebit. Se- » cundum hoc enim dictum est: Pater non » iudicat quemquam, sed omne iudicium de- » dit filio ».

Ergo ex Augustino Christus homo iudex est, sed potestate et auctoritate divina. Atque hinc patet, cur ex antiquis Patribus nonnulli iudicem fore dixerunt Christum, non qua homo est, sed qua Deus, quod Cyrillus in primis ex eo probare videtur *Lib. II. in Ioan.* quod nulli alteri quam Deo conveniat orbem terrarum iudicare.

## Cap. XI.

### De Christo Ecclesiae capite.

I. Ecclesiae Caput esse Christum, Apostolus Paullus non uno in loco expressissime testatur. *Et ipsum* ( inquit in Ep. ad Eph. I. XXII. ) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Et ad Colossenses ( I. 18. ) *Et ipse est caput corporis Ecclesiae: qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris, sive quae in caelis sunt.* Quo spectat et eximius locus ( ad Rom. XII. 13. ) *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis quum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus.*

II. Porro non hominum tantum, qua homo est, sed etiam Angelorum caput esse Christum, ex eo abundantius elucet, quod idem Apostolus ( ad Eph. I. 20. ) de divinae potentiae ac virtutis operatione praedicat, *quam*

*operatus est in Christo suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro: et omnia subiecit sub pedibus eius.* Ergo omnium non solum hominum, sed etiam Angelorum, tam bonorum, quam malorum dominus est Christus, et subiectos habet omnes, habebitque maxime post iudicium (*Psalm. CIX.* et *I. ad Cor. XV.*) quando sub pedibus illius iacebunt omnes inimici eius. Caput est autem non omnium, sed eorum damtaxat, in quibus per fidem regnat; et post occasum mundi sanctorum et electorum, tam angelorum, quam hominum, ex quibus solis Ecclesia constabit.

III. Quae autem ab Christo capite in Ecclesiae corpus influentis gratiae profusio derivet, egregie idem describit Apostolus (Ep. ad Ephes. IV.) *Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificatione sui in ca-*

*ritate*. Quo Apostolico loco nihil mihi ad explicandam capitis spiritalem illam efficientiam in corpus accomodatius videtur. Verum ut omnis evanescat nubecula, quae negotii quid facessere videtur, praestat interpretem ponere Sanctum Ambrosium in Epistola XXXVI. ad Irenaeum: » Qui est caput omnium, ex » quo totum corpus fidelium, et sapientium » per harmoniam rationabilem Verbi; hoc est » enim συγγαρμολογουμενον id est harmonia » Verbi compaginatum, et compactum, at» que connexum per omnem iuncturam mi» nistrationis, in mensuram uniuscuiusque » partis, augmentum corporis facit, in ae» dificationem sui in caritate: ut assurgat » unum templum Dei in omnibus, et unum » domicilii caelestis habitaculum in spiritu » universorum. In quo non solum sanctorum » hominum, sed omnium credentium, om» nium etiam superiorum rationabilium virtu» tum, ac potestatum, connexionem fidei, » spiritusque accipiendam arbitror; ut per » harmoniam quamdam virtutum, ac mini» steriorum, corpus unum, ex omnibus ra» tionabilis naturae spiritibus adhaerere ca» piti suo Christo, in aedificationis compage » connexa, ut ne tactu quidem iunctura sin» gulorum adhaerentium discrepare videatur.

» Hoc est enim, quod dixit Graecus αφυν
» της χορηγιας κατ' ενεργειαν εμμετρως, quod
» non difficile erit tanto architecto secundum
» mensuram uniuscuiusque meritorum, ac fi-
» dei convenientem sibi connectere, cum ae-
» dificatio caritatis ruinam excludat, atque
» obstruat. Non est ergo dubitandum, coele-
» stium potestatum adhaesura ad hoc templum
» aedificandum consortia. Incongruum quippe
» intelligi, quod ita assurgat humanae cari-
» tatis aedificatio in templum Dei, ut fiat in
» nobis habitatio Dei in spiritu: non sic au-
» tem in coelestibus potestatibus.

## Cap. XII.

### *De Regno Christi in omnem aeternitatem duraturo.*

I. Regnum Christi a carnis assumptione coeptum, numquam in omnem aeternitatem esse desiturum, ac ipsam Verbi cum carne unitionem perpetuam fore, expresse Angelus Mariae nunciavit ( Luc. I. 33. ) *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris eius: et regnabit in Domo Iacob in aeternum; et regni eius non erit finis.* Quamobrem et Patres Concilii Constantinopolitani primi haec ipsissima Verba Symbolo Nyceno addiderunt: *Cuius Regni non erit finis.* Id quod et Daniel Propheta praedixit ( VI. 14. ) *Dedit illi potestatem et honorem, et Regnum: et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient. Potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpitur.* Accedit et testimonium Ioannis ( VIII. 35. ) *Christum manere in aeternum*; quod

item et Apostolus Paullus perhibuit ( ad Hebr. XIII. 8. ) *Iesus Christus heri, et hodie, ipse et in saecula.* Et rursus ibidem ( VII. 24. ) *Hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Sed cui bono plura? habemus ipsum Hebraeorum testimonium in Evangelio ( Ioan. XII. 24. ) *Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum.*

II. Porro his omnibus Scripturarum locis Christum, qua homo est, designari, quis vel adeo stipes, vel etiam insanus addubitabit? Non enim nisi Davidis filium memoravit Angelus, qui in domo Iacob regnaturus sit, quique de Maria Virgine conceptus, et in lucem editus est. Daniel item nonnisi filium hominis per visum aspexit, cui antiquus dierum, idest Deus Pater dedit Regnum. Apostolum non moror, quippe de aeterno Christi Sacerdotio verba habet, quod utique secundum hominem illi convenit. Modo at ad eamdem veritatem adstruendam percontandi Patres essent; sed in re exploratissima, nec modo controversa, unum alterumve dumtaxat in medium afferam, qui post exortam Marcelli, ac Photini (26) insanam haeresim,

(26) De Marcello Ancyrano, eiusque discipulo

strenuo pro catholica veritate certarunt. Augustinus diserte in primis Lib. I. de Trinit. Cap. VIII. *Illud autem quod dicit Apostolus* ( 1. Cor. XV. 18. ): *cum autem ei omnia subiecta fuerint, tunc et ipse filius subiectus erit ei qui subiecit omnia; aut ideo dictum est, ne quisquam putaret habitum Christi, qui ex humana creatura susceptus est, conversum iri postea in ipsam divinitatem, vel ut certius expresserim, deitatem, quae non est creatura.*

Clarius adhuc Chrysostomus ( *Hom. XI. in Ioan.* ) verba Ioannis: *Et habitavit in nobis* illustrans. » Contemplare mihi, inquit, ter» ribilem, et arcanam illius mysterii dignita» tem. Nam perpetuo tabernaculum istud in» coluit. Etenim carnem nostram induit, non

---

Photino haec S. Cyrillus Hierosolymit. Cath. XV. *Aliud caput draconis recens in Galatia exortum, ausum est iactare, quod post finem mundi, Christus non amplius regnat: ausum est, inquam dicere, quod Verbum ex Patre prodiens idem in Patrem denuo resolutum nusquam amplius est.* Videsis Eusebium Caesariensem *Lib. III. de Eccles. Theol. Cap. XIII.* tum et Socratem *Lib. II. Cap. XIX.* ubi et Orientalium Episcoporum habes professionem adversus haereticam pravitatem.

» tamqaum iterum eam derelicturus : sed ut
» secum illam semper habiturus. Quippe ni, i
» ita se res haberet, non eam utique throno
» regio dignatus esset : nec illam Angelorum,
» Archangelorum, Thronorum, Dominatio-
» num, Principatuum, Potestatum ». Quam fidem cunctis fere Patribus contestatam, ac doctis elucubrationibus S. Cyrilli Hierosolymitani in *Catechesi XV*. S. Epiphanii in *Ancorato*, S. Basilii *Epistola LII*. et S. Gelasii Pontificis *Epistola II*. illustratam, perbelle suggillat Prudentius in Apotheosi :

*Sed nos, qui Dominum libris, et corpore iam bis*
*Vidimus, ante fide, mox carne, et sanguine coram;*
*Quique voluminibus vatum, cruce teste, probatis;*
*Rimantes digitos costarum in vulnera cruda*
*Mersimus et manuum visu dubitante lacunas.*
*Scrutati, aeternum regem cognoscimus Iesum.*

III. Quandoquidem at pestilentissimi homunciones Marcellus, et Photinus in eo haeresis fundamentum posuerunt, quod Apostolus de Christo scripsit ( ad Cor. XV. 24. *Cum tradiderit Regnum Deo, et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. Oportet autem illum re-*

*gnare*, *donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius*; e re maxime duco duas potissimum Sancti Thomae Aquinatis (*Lect. III.*) ponere heic in obscurum ac difficilem Apostoli locum explanationes. Altera est, quod Apostolus non in personam Christi, sed in ipsius corpus, quod est Ecclesia, sermonem intendat; sic ut iste sit sensus: *Cum tradiderit*, *idest perduxerit regnum*, *idest fideles suos*, *quos proprio sanguine acquisivit* (Apoc: V. 9. Redemisti nos Deo in sanguine tuo . . . et fecisti nos Deo nostro regnum). *Sed sic tradet*, *ut sibi non adimat*, *immo ipse unus Deus cum Patre*, *et Sancto Spiritu regnabit.* Alteram ab Sancto Augustino mutuatur in lib. LXXXIII. Quaest. LXIX. *Cum tradiderit regnum Deo*, *et Patri*: *idest cum ostendet*, *Deum Patrem regnare. In Scriptura enim tunc dicuntur aliqua fieri*, *quando primo innotescunt*, *et huiusmodi innotescentia fit per Christum.* Quae vero in Apostolico textu sequuntur: *oportet eum regnare*, *donec ponat inimicos sub pedibus eius*, ita sunt ex Augustino interpretanda: *oportet regnum ejus in tantum manifestari*, *donec omnes inimici eius ipsum regnare fateantur.* Quo loco et id ex Sancto Episcopo animadvertendum τὸ *donec* non sem-

per finem, ac cessationem (27) designare; quasi dicat Apostolus: cum posuerit inimicos sub pedibus suis, non sit postea regnaturus; sed usurpari non raro de rebus, quae adhuc perdurant, ut quum dicitur in Psalm. CXXXII. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri*; non enim impetrata iam misericordia, licet nobis oculos nostros avertere a Deo.

IV. Unum superest, quod molestiam fortasse alicui contra Incarnationis perpetuitatem possit creare. Nimirum si mortis illo triduo saltem Deitas Verbi a carne fuerit divulsa. Sane vero dimissam triduo illo fuisse a Verbo carnem nonnulli veterum sensisse videntur. In his est Epiphanius *Haeres. XX.* Ambrosius *Lib. de Symbolo Cap. XIII.* Hilarius *in Matth. Cap. XXIII.*, et Leporius in *Libello Emendationis* (28). Constantissima autem, et extra omnem dubitationis

(27) Conferas hanc in rem S. Hieronymum *adversus Helvidium*; Augustinum *Lib. I. de Trinitate Cap. VIII.* Isidorum Pelusiotam *Lib. I. Epist. XVIII.* tum et Cyrillum Hierosolymit. *Catech. XV.*

(28) Quae at fuerit horum Patrum mens vel ex aliis textibus facile eruitur. Quod ad Epipha-

aleam, est cunctorum tum Graecae, tum

---

nium pertinet, ita ipse in Anacephalaeosi: *Quae quidem anima minime apud inferos relicta fuit, neque caro corruptionem vidit, quam divinitas, quae cum illa coniuncta semper erat, excitavit*; qui locus nullo indiget interpretamento. Ambrosius vero Psalm. CXVIII. verba expendens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me: *Dereliquisse videtur*, inquit, *quia non pepercit, qui tradidit morti. Sed non penitus derelictus dicitur, quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Patet autem Sanctum Hilarium non de dissolutione unionis, sed de occultatione virtutis divinae in illo triduo mortis esse intelligendum. Ipse enim alibi dixit ( Lib. III. de Trinit. ) *Dei Filius crucifigitur, sed in cruce hominis mortem Deus vincit; Christus Dei filius moritur, sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei filius in inferis est, sed homo refertur ad caelum.* Demum idipsum et in Leporio explicando dictum volo; et ut ingenue fatear, miror qui factum, ut nemo neque in Africa, neque in Gallia de Leporii doctrina conquestus sit, nec ipse Augustinus, qui expressissime indissolutam fuisse in triduo mortis hypostaticam unionem iterum iterumque professus est. Itaque prorsus auctor sum, et hanc fuisse Leporii mentem, quod recesserit nimirum Divinitas a

latinae Ecclesiae doctrina, ne tum quidem factum esse a Verbi carne sua dissidium, quum ab illa secessit anima. Etenim Athanasius Libro de salutari adventu Christi, contra Apollinaristas disputans, et Gregorius Nyssenus adversus Eunomium Arii discipulum scribens, negant potuisse in Christo Verbum fungi vices animae hoc argumento, quod si ita res haberet, nec mortalis, nec mortua umquam extitisset Christi caro, quum nulla vis mortis quantacumque potuerit Verbi Deitatem ab assumpta carne reparare. An Iudaei enim contra Verbum ipsum praevaluissent? an disiuncta a Verbo caro incorrupta perstitisset? an animam carni sociare rursus potuit, nisi Verbi Deitas, quae utrique semper

---

Christi corpore subtractione protectionis, ut posset mori; non vero solutione unionis hypostaticae, ita ut carnem exanimem deserere nihil aliud sit, quam permittere, ut caro seiungeretur ab anima. Id quod ex ipsis Leporii verbis, quae immediate subdit, apertissime eruet quisquis: *Et tam Christus filius Dei tunc mortuus iacuit in sepulchro, quam idem Christus filius Dei ad inferna descendit*.. Dic, amabo te, qui iacuit in sepulchro, et qui ad inferna descendit, nisi persona Divina corpori, et animae unita?

*

cohaeserat? Augustinus quoque *Tract. XLVII. in Ioan.* constanter affirmat, morte solam animam a carne seiunctam fuisse, tumque cum animam, tum carnem seiunctim Christum dici propter utriusque cum Verbo copulam. His consonant Fulgentius *Lib. III. ad Trasimundum Cap. XVI.*, aliique posterioris aevi Patres graeci latinique, quorum doctrinam complexus est Damascenus *Lib. III. de Fide Orthodoxa Cap. XXVII.* « Quam-« vis Christus ut homo mortem obierit, » sanctaque ipsius anima ab immaculato cor-« pore distracta sit, Divinitas autem a neu-« tro, hoc est nec ab anima, nec a cor-» pore quoquo modo seiuncta est. Neque « propterea persona una in duas divisa fuit. « Siquidem et corpus et anima simul ab i-» nitio in Verbi persona existentiam habue-» runt: ac licet in morte divulsa sint, u-« trumque tamen eorum unam Verbi perso-« nam, qua subsisteret, semper habuit ».

Atque haec satis. Tempus autem nunc est, ut nostrum claudamus sermonem; expectantes in beata spe qui est Alpha, et Omega, primus et novissimus, qui est, et qui erat, et qui venturus est, omnipotens, primogenitus mortuorum, et Princeps Regum ter-

rae; qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo, et Patri suo. Ipsi gloria, et imperium in saecula saeculorum. Amen.

NAI EPKOT KΙΡΙΕ ΙΗΣΟΤ
VENI DOMINE IESV.

FINIS.

# PRAETERMISSA

*Ad pag. 58. post Sectionem II. adponas quae sequuntur.*

## AVCTARIVM

*Cur Verbum Deus ex Virgine carnem adsumpserit.*

I. Quo mirabilior, ac praeter usitatas naturae leges est nativitas Dei, eo Incarnationis Sacramentum et Dei dignitati, et fidei nostrae respondet. Virginem enim sobolescere, portenti simile esset, nisi Deum parturiret; Deum nasci, prodigii instar esset, nisi de Virgine nasceretur. Nimrum id ma-

gis obstupescendum, si non stupendo nasceretur modo qui naturae ipsius est auctor, et dominus. *In Deo* ( egregie inquit Chrysostomus Homil. de Nativ. Dom. ) *non rerum natura est attendenda, sed eius qui operatur, virtuti fides adhibenda.* Quod et inculcatius urget Athanasius Lib. de Incarnatione: « Ex Virgine corpus sibi ipse for-
« mavit, ut nobis argumentum non tenue
« suae divinitatis exhiberet, et eum qui hoc
« sibi corpus formaverat, aliorum quoque
« conditorem, ac formatorem esse. Quis e-
« nim videns sine viro ex virgine sola cor-
» pus prodire, non secum cogitet, eum qui
« sub tali corpore adpareat, esse quoque re-
« liquorum corporum et conditorem et do-
« minum »? Ergo ex Athanasio aequum sane erat, ut qui supra hominem homo nascebatur, supra hominem nasceretur, et ipsi nativitati suae humanae, quae hominem testabatur esse, ea Deitatis insereret documenta, quibus se etiam supra homines esse contestaretur.

II. Porro autem ut primus hominum parens de virgine terra natus est, ita et oportebat, ut primi parentis restaurator restitutaeque humanitatis auctor ac Princeps virgineo partu effunderetur. *Adam de terra virgine*

*natus est* ( Ambrosii utor testimonio Serm. XXXVII. ) *et Christus de Maria Virgine procreatus. Illius maternum solum necdum scissum fuerat , istius maternum secretum numquam concupiscentia violatum. Adam Dei manu plasmatur ex limo , Christus Dei spiritu formatur in utero. Uterque ergo oritur cum patre , uterque virgine utitur matre. Uterque filius Dei , sed Adam creatura, filius Christus vero substantia.*

In quem sensum expresse scripsit et Beatissimus Episcopus Hipponensis *Serm. XIII. de temp.* » Grande nobis mysterium divina » maiestas in Adae figura praemisit. Sicut » enim Deus noster quum primum Adam fa- » cere vellet , non ex coniunctione viri et » mulieris hominem ut esset effecit ; sed ac- » cipiens terram , inde hominem divina qua- » dam arte formavit ; ita sine virili coniun- » ctione Deum in virginali alvo incorporari » dispensavit. Ergo si tunc licuit hominem » sine homine nasci , cur non licuit hominem » sine homine per Mariam Virginem procrea- » ri ? Quoniam sicut Adam ex terra virgine » figuratus est , ita et Christus ex virgine » natus agnoscitur. Ibi tunc flatus Dei de « terra vivum hominem surgere fecit ad vi- « tam : hic mundum Spiritus Sanctus de Ma-

« ria Virgine Christum hominem figuravit, in » quo Deus ad reparationem hominis habita» ret. Adam enim tunc nascitur, hic repara» ratur, et resuscitatur in Christo ».

III. Quid? quod ut Adamo Adamum, ita Evae Evam subrogari meliorem alteram decebat, et ut primum, ita et primam restaurari parentem. Sic eximie philosophatur Tertullianus *Lib. de carne Christi.* » Deus ima» ginem et similitudinem suam a diabolo » captam, aemula operatione recuperavit. In » virginem enim adhuc Evam irrepserat ver» bum aedificatorium mortis. In Virginem » aeque introducendum erat Dei verbum ex» tructorium vitae; ut quod per eiusmodi » sexum abierat in perditionem, per eumdem » sexum redigeretur in salutem. Crediderat » Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli; » quod illa credendo deliquit, haec credendo » delevit. Sed Eva tunc nihil concepit in » utero ex diaboli verbo. Imo concepit. Nam » exinde ut abiecta pareret, et in doloribus » pareret, verbum diaboli semen illi fuit. » Enixa est denique diabolum fratricidam. » Contra Maria eum edidit, qui carnalem » fratrem Israel, interemptorem suum, sal» vum quandoque praestaret.

IV. Scilicet quae venenum praebiberat, ae-

quum erat ut propinaret iam homini salutem, quae morbum intulerat, medicinam proferret, quae prima diabolum admiserat, prior illum fugaret. Hinc Augustinus Serm. LXIII. de diversis: *Decipiendo homini propinatum est venenum per feminam; reparando homini propinetur salus per feminam. Compenset femina decepti per se hominis peccatum, generando Christum.* Quo et proxime illud accedit, quod quemadmodum per naturam ipsam quam vicerat, diabolus erat vincendus, ita per utrumque sexum quem superaverat erat debellandus. Quumque priorem etiam prostrasset feminam, virumque deinde prostrasset per feminam, consentaneum erat, ut femina illum prius, et femina per virum profligaret. Iterum Augustinus *Lib. de Agone Christiano Cap. XXII.* » Accedit magnum sacramentum, ut quoniam per feminam nobis mors » acciderat, vita nobis per feminam nasceretur, ut de utraque natura victus diabolus » cruciaretur, quoniam de ambarum subversione laetabatur ».

V. Sed quid hoc, quod a saeculis inauditum? Sed ego iterum dico: ubi Deus auditur, ibi nihil inauditum. Quid? nonne reiuvenescente quotannis natura, obstreticante vere, parturiunt, et parturiuntur omnia summa

simul foecunditate, summa pariter virginitate? Si ergo opifex Deus totam rerum naturam, singulis recursantibus annis pari foecunditate atque virginitate donet, quid adeo mirum si semel ex hominum gente Virginem illibato pudore, intemerata prole donaverit? Sane argumentationem elegantissime persequutus est Eucherius: cuius locum eximium huc adsuere integrum praestat; » Dic mihi, quis intra « naturam mortui lapidis materiam vivi i- » gnis abscondit? aut unde frigidae venae al- » gentis metalli, flammarum semina concepe- » runt cet..Quis gravidum foetibus maritat an- » num? quis castum arbori subiicit fructum? » Videas partum, ubi non potes invenire con- » ceptum: Et inter haec aliquanti incorrupti- » bilem de corruptione nasci debuisse pro- » nunciant? Ecce quantae res corruptibi- « les sine corruptione nascuntur. Quis intra « oculi pupillam, quasi intra virginem ma- « trem, vim lucis inclusit? Quantas deforis « species intra se concipiunt lumina, et ta- « men involata videbuntur, nisi affectu pec- « cante violentur? remove vitium, incorru- « pta erit aliquoties foecunditas; admove vi- » tium, nec ipsa erit casta virginitas ». Hem quae venusta, quae arcana Philosophia!

VI. Atque ex his quae adhuc usque di-

sputavimus abunde colligitur, uti in Virgineo partu non offuscatam nascentis maiestatem, ita nec parentis violatam integritatem.
« Dicit tibi Deus (inquit Augustinus *Lib. V.*
« *de Haeres. Cap. V.*). Creator hominis,
« filius hominis: Quid est, quod te permovet
« in mea nativitate? non sum libidinis conce-
« ptus cupiditate; ego matrem de qua nascerer
« feci. Ego viam meo itineri praeparavi, atque
« mundavi. Haec, quam despicis Manichaee,
« mater ista mea, sed manu fabricata est
« mea. Si potui inquinari cum eam facerem,
« potui in illa inquinari cum ex ea nascerer.
« Sicut transitu meo illius non est corrupta
« virginitas, sic et mea non est ibi macula-
« ta maiestas. Si solis radius cloacarum sor-
« des desiccare novit, eis inquinari non no-
« vit: quanto magis splendor lucis aeternae,
« in quo nihil inquinamenti incurrit, quo-
« cumque radiaverit, mundare potest, ipse
« pollui non potest »?

VII. Sed ne longa oratione rationum momenta omnia persequar, quae graeci latinique Patres hanc in rem contulerunt, carptim, ac veluti per summam potissima quaeque heic conglobabo argumenta. Primo autem Deus verbum incorruptibilitatis ipse largitor est; proinde nascendo nihil corrumpit.

Egregie Theodorus Episcopus Ancyranus Conc. Ephes. Part. III. Cap. X. *Deus hodie ex Virgine apparuit, et Virgo virginitatis integritate retenta effecta est mater. Nam incorruptionis auctor nihil corrumpit.* II. Deus Verbum ipsamet incorruptio est, proinde incorrupte nascitur; nam etsi qua homo nascatur, Deitatem tamen, Deitatisque incorruptibilitatem gestat humanitas isthaec; Deitatisque dotibus ita perfunditur, ut prorsus alienum ab ea sit humanitate quidquid est Deitati infestum. III. Deus Verbum venit in carnem, ut corrupta sanet, non ut sana corrumpat, ut elisa integret, non ut integra laedat, non ergo ita nascitur ut integritatem pudoremque profligaret. Hinc Leo Magnus Serm. II. in Nat. Dom. *Oportuit ut primam genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium, divini Spiritus virtus infusa servaret; quae statuerat deiecta erigere confracta solidare; et superandis carnis illecebris, multiplicatam pudicitiae donare virtutem; ut virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret in aliis imitabilis confitendo, et renascendo.* IV. Christus, qua homo est, semen est futuri saeculi, seu semen est incorruptibilitatis, si-

cut primus Adam post praevaricationem semen fuit, et seminator totius corruptibilitatis. Ergo ut hic filios posterosque suos seminavit in corruptionem, ita Christus dux et auspex futuri incorruptibilis saeculi, ubi virgineo partu exoritur, iam inde virginitatem dedicat, non profligat. Opportune Basilius de Virginit. *Oportebat enim, ut qui ex intemerata virgine incorruptus etiam secundum carnem natus erat, nec coniugii quidem corpoream experiretur corruptionem, cet. Et sicut Adam praesentis vitae semen per coniugii voluptatem fuerat; ita ipse futuri saeculi semen per virginitatis integritatem fieret.* Et Gregorius Nyssenus Lib. III. de Nativ. *Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem solvit. Decebat enim ut qui in incorruptionem omnimodam futurus erat humanae vitae, ab incorruptibilitate natalibus suis deserviente initium duceret.*

# INDEX

## CAPITUM ET SECTIONUM